ISIDORI BACCHETTI
ROMANI
PHILOSOPHI, AC MEDICI

IN LOCUM QUEMDAM
Disputationis *de Societate Mentis*, *&* *Corporis*, a doctissimo viro Urbano Tosetto Romæ habitæ Anno 1754. in Collegio Nazareno,

ANIMADVERSIONES

AD VIRUM CLARISSIMUM

BENEDICTUM STAY

Rhetorem, Poëtam, ac Philosophum, atque in Romano Archigymnasio Rhetorices, & Humaniorum Litterarum professorem.

Dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ: maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces, indignæ mihi Philosophia videri solent. Cicero de Finibus Lib. I. cap. 8.



ROMÆ MDCCLV.

EXCUDEBAT GENEROSUS SALOMONI
PRÆSIDUM FACULTATE.



ISIDORUS BACCHETTUS BENEDICTO STAY SUO S. D.



ON eram nescius, Benedicte Stay, cum libros de *Re Metaphysica* præstantissimi Philosophi Aloysii Antonii Verneii vix in lucem editos volutarem, fore ut verissima philosophandi ratio in aliquas reprehensiones incurreret, tum eorum, quibus tota hæc displicet Recentiorum via ac methodus, nec nisi veteres logomachias amant; tum etiam Recentiorum quorumdam, qui tametsi optimis studiis politi, atque omni laude cumulati, tamen ex præjudicata sententia judicare, omniaque aliorum cogitata ad hypotheses suas revocare solent. Quod ipsum tam cito, &, quod plus est, in Urbe hac gravissimorum Philosophorum altrice, clarissimo viro evenisse, haud ita pridem non sine animi dolore animadverti. Nam cum ego *Disputationem de societate Mentis & Corporis*, ab amico homine Urbano Tosetto Philosophiæ professore in Urbe habitam, forte fortuna legerem, inveni pag. 17. Tosettum nostrum de Verneii item nostri sententia quadam non obscure conqueri, quasi ab eo injuria esset refutatus: tum dedita opera Verneii opinionem unam, & item alteram expendere, & confutare sibi proposuisse. Mirabar, neque enim causam ullam veram falsam in Verneii verbis a Tosetto descriptis reperire poteram. Itaque cum Verneium ad manus non haberem, tacitus sic mecum cogitare cæpi. Quid? Verneius, qui To-

ſetti ſodales ex animi ſententia diligit; qui eos, cum ſe offert occaſio, laudat; (1) qui plures apud eos habet amicos, quorum aliqui, iique doctiſſimi, ejus Philoſophiam in ſcholis exponunt; alii & Diſputationibus ſuis eum laudant, & Diſſertationes admodum eruditas pro concione habitas eidem inſcribunt; alii eum omni amoris demonſtratione humaniſſime proſequuntur; uni Toſetto, de cujus peritia in Philoſophicis eumdem ſæpiſſime prædicantem audivi; uni, inquam, Toſetto, vir mea ſententia omnium humaniſſimus, ac pacis amans, ſe adverſarium oſtendet? hic certe aliquid monſtri latet. Quid multis? domum inde recta venio ut Verneii loca conſulerem: cumque diu, attenteque *Metaphyſicam* lectitarem, quæ mihi ex aſſidua lectione erat notiſſima, nec Toſettum nominatum, nec *Diſſertationem* illam primam ſuam, nec verba ulla Toſetti iiſdem, aut diverſis deſcripta litteris, citata legi. Quid plura? ne unum verbum quidem inveni, quod ad Toſettum pertineret. Nihil enim aliud habet Verneius niſi: *Aliqui Recentiores graviſſimi cum pro certo ponant &c.* idque obiter in adnotatione ad oram libri habet: & ibi nominat oppoſitæ ſententiæ patronos, *Cudvvorthum, Morum, Rudigerum*, quos ego in Bibliotheca Verneii non ſemel tantum me vidiſſe memini.

Hæc me certe majori admiratione compleverunt: & tamen aliquam cauſam reperire volupe erat, ne Toſettum, hominem & ſapientem, & moderatum, levitatis, ac imprudentiæ condemnarem. Quid? cogitabam rurſum, ſi Toſettus per errorem ſibi perſuaſit, *Metaphyſicam* Verneii, quæ poſt ſuam *Diſputationem* in lucem edita eſt, ejuſmodi lucubrationem pro ſcopo habere debuiſſe? quid ſi Verneius Toſetti diſputationi adfuit, vel talem lucubrationem legit, idque iſte vel vidit, vel cognitum habuit? At hæc ſatis erant ut Toſettus judicaret, notum eſſe Verneio, eum in eadem ſententia eſſe cum *Recentioribus illis graviſſimis*: minime vero ut nobis pro certo affirmaret, *ſe a Verneio peti*, & refutari: atque hoc ſolo nomine in Verneium invehe-

(1) Vide Verneii *Apparatum pag.177. & 303.* & *Logicam pag.256.* ubi Corſinium laudat: & pag.361. in not. Et *Metaph. l.4. pag.233.*, & ſæpe alibi.

veheretur: cum ejusmodi opinio adeo vetus sit, ut nondum nato Tosetto nostro, jam in scholis inveterasset. Quid te morer pluribus? Verneium ipsum adii, ut ab eo cognoscerem, an ipse Tosettum in aliquo offendisset; sin minus, an defensionem aliquam pro se scribere vellet. Qui utrumque constantissime negavit, & se talia scribendo de Tosetto cogitare debuisse, & ullam se apologiam de talibus nugis scripturum. *Si Tosettus*, inquit, *amico animo in nos peccavit, & imprudens fecit, aliquid & amicitiæ, & præclarissimo sodalitio dandum est. Sin inimico animo prior læsit, & affectu aliquo ductus haud digno tali viro nos vellicare constituit, non est meum injurias injuriis vindicare. Eo magis, quod qui legat attente librum 2. in quo de natura, ac usu Metaphysicæ disputo; atque loca ipsa a Tosetto adducta perpendat, & cum præcedentibus, & consequentibus conferat, majori illustratione opus non habeat.*

Hoc ego moderatissimi hominis lenissimum responsum laudavi, sed imitari non potui. Aliæ enim, & graviores causæ me movebant, ut defensionem aliquam pararem: Nempe is ego eram, qui Verneii *Metaphysicam* & Adolescentibus bonæ Philosophiæ studiosis proposueram legendam, & aliquibus viris doctis laudaveram: qui si forte Tosetti *Disputationem* legerent, & animadverterent, quanto supercilio, ac fastidio talem sententiam, ne dicam integrum librum, exceperit; Tosetti professoris celeberrimi auctoritate moti, nec re, ut fieri solet, accurate examinata, fortasse de Verneii judicandi acie male suspicarentur. Et is erat Verneius, quem ego omni observantiæ, atque amoris significatione prosequi debebam. Nam a quo tempore in ejus notitiam perveni, meque in amicorum numero esse jussit, nullum non ab eo in me officii genus profectum est: multa etiam beneficia extitere, quæ me mirifice sublevarunt. Ille enim me jacentem erexit: ille rebus meis diffidentem confirmavit: ille mihi aditum ad plures viros gravissimos aperuit: ille viam compendiariam monstravit, qua ad graviorum disciplinarum adyta pervenire possem: quid multis opus est? Ille se mihi & verbis, & re præstitit, amicum, defensorem, patrem. Quare cum tot, ac tantis ejus in me meritis nulla occasio mihi fuerit gratiam referendi, nec quæ sub ejus nomine in lucem proferre de-

 creve-

creveram, hucusque absolvere, & edolare potuerim; æquum erat ut eam ego occasionem e manibus elabi non sinerem, quæ mihi præter cæteras justitiæ nomine se commendabat. Itaque Verneii sententiam defendendam mihi sumpsi: non id quidem altercandi studio, aut Tosettum, quem ego merito suo diligo, petendi; sed ut iis, qui Tosetti *Disputationem* legerunt, planum facerem, quam male ipse Verneii nostri sententiam sit interpretatus, quantaque injuria virum clarissimum ea de causa refutare conatus sit. Sed ut omni me invidia liberem, adducam verba ipsa omnia Tosetti, eaque claritatis gratia in capita dispertiam, singulisque animadversiones subjungam, ut facile judicare possis, uter melius philosophetur. Ita enim laudata *Disputatione de societate Mentis & Corporis* pag.17. Tosettus disputat.

I. „ Anima hominis si re ipsa agit in corpus, illi saltem cerebri regioni præsens sit oportet, in qua nervorum capita coeunt, vel quasi coeunt. Etiamsi vero in unum punctum coirent, semper est punctum physicum & extensum. Hanc ergo regionem tota occupat anima præsentia sua. Hanc ipsam argumentationem (*addit Tosettus in nota*) in lucubratione Philosophica an.1751. edita iisdem fere verbis exposui, cum de simplicium substantiarum extensione controversiam agerem. Eam carpit, & fallaciæ insimulat vir humanissimus Aloysius Antonius Verneius in eo, quod *de Re Metaphysica an.*1753. vulgavit opere *lib.*4. *cap.*7. *in not.* Placet autem integrum doctissimi auctoris locum exscribere, ut totam ejus censuram ob oculos legentium ponam, &, siquidem fieri possit, refellam; vel saltem observantiæ hoc meæ, & existimationis testimonium viro clarissimo exhibeam. *Aliqui Recentiores clarissimi* (hoc vocabulum consulto omisit Tosettus, puncta substituens, quo facilius lectori persuaderet, se ibidem a Verneio designari) *cum pro certo ponant, ex re non extensa extensam fieri non posse, putant extensionem, & simplicitatem una esse posse: ideoque contendunt, elementa corporum esse substantias simplices, & extensas. Si rationem quæris, audies hanc esse, quia non intelligunt, quo modo infinitæ partes in una & exilissima materiæ parte con-*

„ *tineri*

„ *tineri possint : propterea rident Cartesianos, Newtonia-*
„ *nos, ceterosque, qui divisionem in infinitum amplexan-*
„ *tur. Sed, pace eorum dicam, mihi videntur ipsi male*
„ *philosophari. Non intelligo, inquiunt, divisionem in in-*
„ *finitum. Igitur negare debeo proprietates materiæ, quas*
„ *clare intelligo. Pulcra fallacia! ex infinito, quod mor-*
„ *talis nemo intelligit, ad rem omnino perspicuam argu-*
„ *mentari! Hanc si admittimus philosophandi viam, innu-*
„ *meras res omnino perspicuas negare deberemus, quod eas*
„ *non intelligamus: immo vero fere omnia phænomena phy-*
„ *sica, quæ, si ingenui esse volumus, fateamur necesse est,*
„ *nobis impervia esse.* „ Hæc Tosettus.

ANIMADVERSIO.

Nempe huc redit Tosetti nostri ratiocinatio. *Verneius laudat generatim* aliquos Recentiores gravissimos; *non nominat Urbanum Tosettum, non excribit verba ulla Tosetti, non citat nisi tres auctores, ex uno & viginti, quos eadem adnotatione laudat Tosettus;* (1) *non enumerat omnia argumenta Tosetti, nec eodem ordine, quo ille posuit; non propulsat rationes omnes, quas Tosettus affert; tantum per viam tangit opinionem quamdam, quæ vetus jam erat ante natum Tosettum.* (2) *Ergo humanissimus Verneius sibi proposuit confutare locum illum Disputationis Tosetti.* O exi-

 miam

(1) Nempe Leibnizium, Acta Eruditor., Wolfium, Genuensem, Leucippum, Democritum, Simplicium, Plutarchum, Aristotelem, Hamelium, Muschenbrockium, Danielem, Cartesium, Clarkium, *Cudworthum*, Petavium, *Rudigerum*, Buddeum, *Morum*, Keillium, Gravessandium.

(2) Duplex hic tangitur præcipue opinio a Verneio. Altera est, *prima elementa corporum seu materiæ esse extensa, & indivisibilia*, seu *esse atomos extensas*. Hæc autem opinio plurium veterum fuit, maxime Democriti, & Epicuri, qui alio & alio modo eam poliverunt: qui tamen veras partes in atomis ponebant, sed ob defectum vacui indivisibiles faciebant, verum mente divisibiles. Ex Recentioribus præ ceteris Gassendus eam defendit, ejusque asseclæ. Sed elapso sæculo Derodon *Disput. de Atomis*, & Gaspar Wyssius in *Curs. Philosoph. part.2. an.1669.* itemque Stair in *Physiologia Nova Exp.* quæ Latine prodiit an.1686. Lugd. Batav. veterum quorumdam opinionem suscitarunt, defenderuntque, *materiam*

con-

miam ratiocinandi formam! Hanc certe non dico Aristoteles, sed nec Stoici illi, aut Megarici, acutissimi Sophistæ, umquam probassent. Nempe Tosettus noster judicavit, verba illa, *Aliqui Recentiores gravissimi*, non alium nisi se petere! Quid hic responsione opus est? quis hic non videt, quam verum sit vetus illud, *Qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* Sed cetera audiamus.

II. ,, Egre-

constare ex atomis non solum re ipsa, sed mente prorsus indivisibilibus, adeo ut singula puncta materiæ nec extensionem habeant, nec magnitudinem, quasi essent puncta Mathematica. Quam sententiam ipse Stair tribuit Platoni, & Zenoni: ex Recentioribus vero Galilæo, Cordemæo, Hamelio, aliisque: sed fallitur, nam eorum aliqui alio modo disputarunt; alii aperte id negarunt: præsertim Zeno, qui aliquam magnitudinem illis dabat, ut recte Fonseca *in Arist. Metaph. l.3. c.4.* Non dissentit Leibnizius, qui monades suas puncta metaphysica vocat. Sed bene Libertus Fromondus *de Compositione continui* perspicuis argumentis ostendit, ejusmodi puncta Mathematica esse commenta.

Altera opinio est, *esse aliquid extensum, quod non sit solidum*. Hæc etiam vetustissima est: talemque multorum *de Angelis* sententiam fuisse, docet Cudworthus *System. cap.5. sect.3.* per totam, & ibid. Moshemius §.26. seqq. *Animos autem & simplices, & extensos* ex Veterum, ac Recentiorum quorumdam sententia probabile judicat Cudwortus ibid. §.52. Immo Moshemius ibi ad §.41. ait: *Ut hodie, ita tum temporis* (nempe post medium elapsi sæculi) *magni nominis Philosophi tam inter Britannos, quam alios populos hac de re inter se dimicabant*. Veluti Henricus Morus, qui *Enchiridii Metaphy. p.1. cap.27. a n.5. Londini* 1671. ostendere conatur, Deum, & Animam, & omnes spiritus esse extensos. Immo in Galliis cum Petrus Petitus libro de *Extensione animæ & rerum incorporearum Parisiis* 1665. 8. negaret contra la Chambre extensionem; eidem se opposuit la Chambre libro inscripto, *Defense de l'Extension, & des parties libres de l'Ame. Paris.*1666. quo libro, ut etiam in alio, *le systeme de l'Ame*, tot ineptias scribit, nempe animam habere partes entitativas, tum aliquas partes animæ non esse unitas corpori; ut nihil ineptius me legisse putem. Addi his debet Du Hamel; nec non Honoratus Fabri: ut alios omittam, qui id ipsum sæculo superiori defenderunt. Quibus ex nostro sæculo Tosca addendus, qui animam per totum corpus extensam facit. *Metaph. Reals l.1. c.4. prop.30. Valentiæ* 1721.

Tertium vero illud, quod hic obiter memoratur, nempe *animam præsentem esse nervorum capitibus in cerebro*, sententia est omnium Recentiorum a Cartesio usque, qui animam in cerebro locant, ubi nervi desinere illis videntur, ejusque sedem faciunt vel *glandulam pinealem*, vel *septum lucidum*, vel *corpus callosum*, vel *centrum ovale &c.* Audi Cartesium de Passionibus part.1. art.34., ibi: *Glandula illa, quæ est præci-*

pua

II. ,, Egregie profecto (pergit Tosettus) si mea hæc ,, esset, quam Verneius impugnat, ratiocinatio. Scripsi ,, utique: *Quis denique sibi suadeat, parvum materiæ cu- ,, bum usque adeo in quadratas plagulas dividi posse, ut ,, orbi Universo, si Deo libeat, tegendo par sit?* (1) At hoc ,, dumtaxat argumento, quod procul dubio sejunctum a ,, ceteris, mancum est & elumbe, tota illa mea ratioci- ,, natio non continetur. En totidem verbis excripta, quæ ,, illud absque ulla interjectione præcedunt. *Si substantia, ,, ut par est, simplex aliquid, & inconcretum dicatur, ,, nulla erit in toto mundo corporeo substantia; nec aliud, ,, quam modorum congeriem sine substantia, in corporibus ,, deprehendemus. Præterea nulla erunt vel ipsi Deo pri- ,, ma corporum elementa.* Hæc plane argumenta duo, in ,, quibus vis maxima, aut ego fallor, posita est, Leibni- ,, zium virum acutissimum, quem eodem loco commemo- ,, ravi, impulerunt, ut corporum divisibilitatem in in- ,, finitum, eorumque partes *actu* infinitas negaret. Cur ,, autem in illud unum, quod mens corripitur & obrui- ,, tur, sed non convincitur, Verneius animadverterit, ,, reliqua autem duo ne leviter quidem indicaverit, divi- ,, nare vix possim. Ex his duobus unum demonstrationis ,, vim habet. *Si substantia simplex aliquid, & inconcre- ,, tum*

---

pua sedes animæ, potest varie moveri ab anima, quæ talis est natura, ut in se tot varias impressiones recipiat .... prout etiam reciproce machina corporis ita composita est, ut hæc glans, ex eo quod varie movetur ab anima, aut qualicumque alia causa, impellat spiritus, qui illam ambiunt, versus poros cerebri &c. Et art.35. ait: *imagines sensuum tendere ad idem punctum glandis*, in quo nempe præsens est anima. Quare & hæc sententia longe in scholis vetusta est. Sed de his infra largius disputabimus in nota ad numerum VII.

(1) Tosettus noster non animadvertit, parvum materiæ cubum, v.g. digiti transversi, si infinite dividatur, non dividi in partes, quæ æquent magnitudinem primi cubi, sed in partes proportione subdupla semper minores: infinitarumque partium cumulum non majorem molem constituere posse, quam erat cubus, ex quo decerptæ fuere: non enim nova materia creatur, sed ponimus cubum illum exiguum in partes minores, & minores in infinitum secari. Quemadmodum igitur si infinitæ illæ partes denuo uniri possent, constituerent cubum, cujus latus esset digiti crassitudo; ita si ponamus infinite dividi, numquam majorem molem efficient, quam primus cubus. Quod perspicuum est.

„ *tum dicatur* : quod ex acutioribus Metaphyſicis ibi„ dem (not.1. ad §.2.) ſtatueram . „ Hactenus Toſettus .

ANIMADVERSIO.

En alius effectus amoris , atque obſervantiæ Toſetti erga Verneium . Nempe tam penitus infixum erat Toſetti animo nomen *Verneii* , ut ubique Verneium ſe videre , ubique ſe alloqui putet : atque amice cum amico jocans , andabatarum more eum omni loco , & tempore ſe manu prehendere ſibi perſuadeat . Cum autem ad ſe redit , prorſus intelligit , hæc omnia phantaſiæ ludos eſſe , nihil amplius . Sed joca miſſa faciamus . Nego , *Verneium ſibi propoſuiſſe confutare ſententias ullas Toſetti* . Hoc ſublato fundamento , tota , quæ ſuper ſtruitur , machina corruit , nec alia reſponſione opus habemus , quod ſupra demonſtravimus .

Sed quoniam Toſettus tantum in Leibniziano fundamento roboris ponit , ut dicere non dubitet , *utrumque graviſſimum eſſe* , primum vero illud *vim demonſtrationis habere* ; videamus an res ita ſe habeat . Ego vero aperte dico , utrumque argumentum , mea ſententia quidem , ne micam quidem veriſimilitudinis habere : tantum abeſt , ut primum *demonſtrationem* vocem , alterum *vi maxima præditum* .

Si ſubſtantia , inquit Toſettus , *ut par eſt , ſimplex aliquid & inconcretum dicatur* , *nulla erit* (ſi materiam infinite ſecari poſſe dicas) *in toto mundo corporeo ſubſtantia* . Cur ? quia (1) dabitur infinita rerum progreſſio , nec umquam in uno aliquo conſiſtere poterimus , quod ſit ſubſtantia . Igitur tota hæc repugnantia ad repugnantiam *infiniti abſoluti* reducitur . (2) *Præterea* , inquit , *nulla erunt vel ipſi Deo prima corporum elementa* . Cedo rationem ? quia

(1) Leibniziani hic confugiunt ad *defectum rationis ſufficientis* : ſed hic defectus ex hoc fonte manat , quia eſſet infinita progreſſio , ut eſt manifeſtum . Et ita rem explicat Wolfius *Coſmologiæ* §.229. loquens de *compoſitione corpuſculorum* .

(2) *Infinitum abſolutum* vocat Verneius illud , quod alii appellant *infinitum actu* , quo illud diſtinguat ab *infinito potentiali* , quod actu eſt finitum , ſed poteſt infinite augeri .

quia si unaquæque pars dividi possit, iterum existet infinitus effectuum progressus. Ergo nulla erit ultima, quæ creari possit. Infinitum est impossibile: ergo & creatio elementorum. Itaque & hic ex *infinito absoluto* res tota deducitur, cujus repugnantia veluti principium evidens utrobique ponitur. Atque id ipsum confirmat ibidem Tosettus in hunc modum: *Hæc plane argumenta duo Leibnizium impulerunt ut corporum divisibilitatem in infinitum, eorumque partes* actu *infinites negaret*. Et clarius in prima illa lucubratione. (1) *Leibniziani non alia ratione infinitarum in omni corpusculo partium absurditatem vitare possunt, quam prima corporum elementa prorsus inextensa effingendo, proindeque figuræ quævis expertia, & magnitudinis.* Hæc ille.

Audi nunc jam, doctissime Stay. *Infiniti absoluti* nemo homo, nedum solus Leibnizius, habet notionem. Itaque, si recte philosophari cupit, de tali *infinito* nec affirmare aliquid, nec negare potest. (2) Ergo argumentatio Leibnizii est merus paralogismus: valet enim ac si diceret: *Ego de infinito absoluto nihil cognosco, nec constituere possum, an in creatis sit, an esse possit, an secus. Et tamen ex eo, quod nullo modo intelligo, pro certo infero, corpora infinite dividi non posse, sed esse debere res aliquas simplices, quas substantias voco, quæ creari possint.* Quis non rideret hominem tali modo disputantem? quis non miraretur cæcum natum pervicaciter negantem esse *lucem*, & *colores*, quod harum rerum nullam haberet ideam? Et tamen si Leibnizii argumentationem a præjudicio hypothesis suæ separas, in suas partes resolvis, easque probe consideras, cogno-

(1) In *Propositionibus Philosophicis* Romæ defensis in Collegio Nazareno an. 1751. pag. 17. in not. quas a Verneio confutatas fingit Tosettus.

(2) Recte ex principio perspicuo aliquid perspicue inferimus, tametsi inde sequatur processus in infinitum. Male tamen ex infinito, quod non intelligimus, inferimus, *aliquid certo modo esse debere*. Tantum dicere possumus, admisso gratis infinito, non sequi esse veras propositiones contradictorias: id est, non posse gratis admitti tale infinitum, ex quo aperte sequantur contradictoria: quod ad illud primum revocatur, ut infra dicemus n. X. Vide Clarkium de *L'Existence de Dieu*. *chap*. 2. & 3. *per totam*.

cognosces ipsissimam hanc esse ratiocinationem. Est igitur paralogismus.

Audi reliqua. Hinc plane conficitur, quam male judicavit Tosettus dum scripsit, illud argumentum Leibnizii a primis (nempe repugnantia *infiniti absoluti*) sejunctum *mancum esse & elumbe*: si hoc dicere vult, aliquam, tametsi minimam, probabilitatem habere. Nam tale argumentum Leibnizii a primis sejungi nullo pacto potest: propterea quia, si missam facimus repugnantiam *infiniti absoluti*, sunt verba inania.

Hinc etiam efficitur, quam recte Verneius noster, cum inter vias ostendere vellet, (1) inscite judicare illos, *qui dicunt, extensionem, & simplicitatem in rebus corporeis una esse posse*; non nisi de repugnantia seu *impossibilitate infiniti absoluti* sermonem fecerit: quia probe cognitum habebat, quidquid ab Adversariis opponitur, ex hoc fonte proficisci, *impossibile esse infinitum absolutum*. Quod non animadvertens Tosettus, Verneium de negligentia postulavit, quasi omnia adversariorum argumenta non infirmasset.

Sed redeo ad Leibnizii argumenta, ac illud rursum tibi dico, Stay, primum argumentum Leibnizii, quod tantopere extollit Tosettus, si alio aspectu consideretur, nihil aliud esse, quam puram putam *petitionem principii*. Hui! repones, *petitio principii*! ita profecto res est. Quod ut probe cognoscas, illud te considerare jubeo, quid illud est, quod a Philosophis in quæstionem vocatur. Nempe quæstio est, *an hæc res, quæ vocatur substantia, seu natura, seu essentia Physica corporis* (nam hoc sensu eam sumit Leibnizius, & ex eo Tosettus) *sit res simplex & inconcreta, an secus*. Negant ceteri: ait Tosettus, idque lepide assumit pro certo, quod tanta contentione animi disputatur. *Si substantia*, inquit, *ut par est, simplex aliquid & inconcretum dicatur, nulla erit in toto mundo corporeo substantia, &c.* At hoc ipsum in quæstione est: *an par sit, quod substantia, id est essentia Physica corporis, simplex aliquid & inconcretum dicatur*. Hoc erat probandum, non quasi indubitatum assumendum. Aliter argumentatio Tosetti est nuga-

(1) De Re Metaphysica pag. 165. 67.

nugatoria, quasi diceret: *Si ſubſtantia vocatur res ſimplex, non poteſt non vocari ſimplex*: quod quis negat, aut quid ad rem facit? (1)

Deinde quot in hac propoſitione verba, tot paralogiſmorum fontes ſe offerunt. Si enim pro tuo jure poſtulaveris exponant tibi, quid hoc loco ſignificet *ſubſtantia*, quid *ſimplex*, quid *inconcretum*; clare cognoſces, controverſiam omnem ex varia interpretatione vocum proficiſci, quam Scholaſtici vocant, *quæſtionem de nomine*. Re autem vera Leibnizius ipſe interrogationibus vexatus, quo erat pudore ingenuo, fateri non recuſaret, ſe de interiori corporearum rerum ſyſtemate nihil ſcire, (2) vel id voces *ſubſtantiam*, vel *ſubjectum*, vel *eſſentiam*, vel *naturam*, vel *elementum*, vel *materiam*, vel *corpus*, vel *quantitatem*, vel *continuum*, vel quo alio nomine volueris. Itaque ſi obſcuras voces removeas, & vocabulo *ſubſtantia* aliud ſubſtituas, quod tot controverſiis non ſit expoſitum, v.g. *rem*, vel ſi non repugnas, *naturam*, ſeu *eſſentiam Phyſicam corporis*, ſeu *corpus*; vel ſaltem vocabulum *ſubſtantia* ſignificatione magis vulgata ſumas, *pro interiori materia rerum corporearum*, quid quid tandem illa ſit; & illud examinandum tibi ponas, *an res, quam corpus vocamus, infinite dividi poſſit, an aliter*; tum apertiſſime intelliges, argumentationem Leibnizii nihil aliud eſſe, quam verba inania: eumque ideas illas ſuas abſtractas, ac definitiones, re vera nominales, non reales, pro rebus Phyſicis nobis venditare. Sed ad Toſettum redeamus, ita enim ſcribit.

III. „ Ita-

(1) Re vera nugatorium videtur illud principium Leibnizii: *Si eſt ſubſtantia compoſita, eſt etiam ſimplex, aliter erit numerus ſine unitatibus*. Forte in hypotheſi Leibnizii aliquid momenti habebit: ſed apud alios nihil efficit, nam hoc ipſum in quæſtione eſt.

(2) Leibnizius ſuam ignorantiam in hoc negotio profitetur. Ait enim, ſe ad *Harmoniam præſtabilitam &c.* animum adjunxiſſe, quod aliam hypotheſim non reperiret, quæ phænomena ſingula explicaret: *Outre tous ces avantages, qui rendent cete hipotheſe recommandable, ont peut dire, que c'eſt quelque choſe plus qu'une hipotheſe, puis qu'il ne paroit gueres poſſible, d'expliquer les choſes d'une autre maniere intelligible*. Leibnizius apud Journal des Savans an.1695. pag.460. Amſterd.

III. „ Itaque argumenti vis infringi non potest, nisi „ ea substantiæ definitio rejiciatur. (*& recte quidem*) At „ ea rejecta, quam subrogabimus? (*nullam, sed a philosophando de rebus omnino involutis, & inutilibus abstinebimus*) Non quidem definitionem Verneianam, quam „ vitiosam esse nemo, ut arbitror, inficiabitur. „ (*immo vero omnes, qui vocabula intelligant.*)

ANIMADVERSIO.

Clare hic vides, Stay, propositum fuisse Tosetto orationem quærere, atque fingere sibi aliquam causam probabilem improbabilem cur Verneium peteret, atque cum eo Peripateticorum more subtiliter decertaret. Nam ut argumentationem suam defenderet, non opus erat alias Verneii sententias consulto examinare, ut evidens est. Sed quam prospere illi cesserit, videamus.

IV. „ Substantiam, *inquit*, ipse (*Verneius*) definit (1) „ *Essentiam separatam a suis modis*. Verum non ignorat „ Verneius, non *substantias* tantum, sed etiam *modos* suam „ essentiam habere aliis modis affectam, qui ab ipsa essentia per mentis abstractionem separari queant. Cum extensio corporum sit ens reale, realem quoque essentiam „ habeat necesse est. Extensio hæc autem variis modis „ afficitur, vel affici potest, ut norunt omnes. Ne autem „ propriis dumtaxat utar exemplis, aliud ex Verneio proferam. *Natura trianguli*, inquit, *in hoc sita est, quod* „ *sit figura tribus lineis definita. Quare si Deus ab æterno* „ *tempore cognovit, talem esse naturam rei, quam vocamus triangulum; omnino fieri non potest, ut id, quod vocamus eo modo, non habeat talem naturam: aliter eadem* „ *res esset triangulum, & non esset*. (2) Eadem dicit de „ numero ternario. Constat autem triangulum infinitis „ fere modificationibus obnoxium esse. Si quis autem reponat, Extensionis, & Trianguli essentias ex Verneii „ sententia reales non esse; substituat exempla lineæ, & „ superficiei, quorum essentias, ut a Geometris explicantur, tamquam reales Verneius ipse producit, & „ pro-

(1) Metaphysicæ Lib.4. cap.4. pag.138. (2) Ibid.cap.3. pag.127.

„ probat. (1) Lineis autem, & superficiebus innumeras ac-
„ cedere posse modificationes, quis negat? Itaque si sub-
„ stantiæ definitionem a Verneio traditam adoptare veli-
„ mus; extensio, triangulum, linea, superficies, aliaque
„ multa horum similia, quibus sua est essentia, & modi
„ (*hoc opus, hic labor est*) ad substantiarum classem refe-
„ rantur oportet: quod absurdum, & falsum esse, Ver-
„ neius ipse fatebitur. „

ANIMADVERSIO.

Si Tosettus noster per quam meditate legeret Verneii libros, propositionesque ad auctoris systema, ut par erat, revocaret, non seorsum expenderet; haud ita turpiter laberetur, ut definitionem *nominalem* pro *reali* sumeret, nec tot res diversas hac una propositione misceret: propterea tota hac censura supersedere poterat.

Nempe Verneius, quamquam dum loquitur communiter cum aliis de *substantia*, eam sumat in vulgata adversariorum significatione pro re *physica*; tamen hoc loco aliorum opiniones examinans, ac ex propria sententia, & animadversione loquens, aliter sumit. Itaque eodem libro aperte distinguit *essentiam*, & *substantiam*. Tum essentiam dividit in *Physicam*, & *Metaphysicam*. Physica est, *cumulus proprietatum omnium, ex quo res est hæc, non alia:* (2) v. g. *essentia Physica & realis Hominis ea omnia complectitur, quæ re ipsa hominem constituunt*. Essentia vero Metaphysica, *ex quibusdam tantum ideis notioribus a mente nostra componitur*. (3) Ubi etiam monet, *Essentiam, & Naturam in rebus creatis idem significare*. (4)

Sequenti vero capite de *substantia* differit, & exponit, *Philosophos plerosque vocabulo* substantia *significare solere essentiam, seu naturam rei mente sejunctam ab iis modis, qui eam ornant*. (5) Ex quo infert, *substantiam secundum eos esse ideam relatam ad modos: propterea esse ideam abstractam, quia nulla existit substantia carens omnibus modis. Quare qui de substantia sine modis sumpta disputant, non de*

(1) Metaphys. ibid. coroll. 2. pag. 131. (2) Ibid. pag. 123. (3) Ibid. pag. 125. (4) Ibid. pag. 126. (5) Ibid. pag. 137. 38.

de re aliqua, quæ extra mentem sit, disputant, sed de abstracta idea, quæ tantum in eorum mente existit. Substantiæ enim, ut in Logica *docuimus* (hic sumit substantiam in vulgata acceptione, *pro re physica*) *nullam aliam ideam habemus, nisi concipientes cumulum modorum, & proprietatum, adjungendo iis ideam obscurissimam naturæ nobis incognitæ.* Et infra (1) ait, *substantiam ea acceptione sine ullis modis internis esse non posse.*

Poteratne clarius dicere noster, *substantiam sejunctam ab omnibus modis, esse ideam abstractam; substantiam vero sumptam pro intima essentia Physica, seu natura rei, esse rem nobis incognitam?* minime. Attamen hæc vel non vidit, vel legere dedignavit bonus Tosettus: quæ si animadverteret, intelligeret profecto, definitionem *substantiæ*, quam tradit Leibnizius, esse secundum eum definitionem *essentiæ Physicæ*: definitionem vero *substantiæ* a Verneio hoc loco traditam, esse definitionem *nominis*, quam nec ipse Leibnizius (si prejudicium suæ hypothesis removeas) rejicere posset: nam *substantia vacua omnibus modis*, ut plerique eam sumunt, non nisi in mente cogitantis existit. (2) Secus ostendere debuisset Tosettus, ubinam gentium *existit substantia vacua omnibus modis*, & magnam illi haberemus gratiam de miro hoc explicato phænomeno.

Sed venio ad reliqua errata Tosetti, quæ hac brevi argumentatione continentur, & quibus tota ejus responsio nititur. 1. Nego, *modos suam essentiam habere aliis modis affectam.* 2. Nego, *extensionem corporum esse ens reale, quod habeat essentiam realem sejunctam a corpore.* 3. Nego, *Verneium definitiones lineæ, & superficiei pro germanis realibus*

(1) Pag. 142. Corollar. de substant.

(2) Hoc vitium plurimorum Philosophorum animadvertit, & notavit ipse Cartesius Princip. part. 2. n. 9. *Nonnulli cum substantiam ab extensione aut quantitate distinguunt, vel nihil per nomen substantiæ intelligunt, vel confusam tantum substantiæ incorporeæ ideam habent, quam falso tribuunt corporeæ, hujusque substantiæ corporeæ veram ideam extensioni relinquunt, quam tamen accidens vocant: atque ita plane aliud efferunt verbis, quam mente comprehendant.* Eadem acceptione loquitur Rohaultius Phys. c. 7 n. 14. *Observandum est, substantiæ naturam esse, existere posse sine modo suo, & ab eo minime pendere: Modi contra, non posse existere sine substantia sua.*

bus habere. 4. Nego, *lineis*, & *superficiebus sejunctis a corpore innumeras accedere posse modificationes Physicas*. 5. Nego, ex *definitione Verneii talia inferri posse absurda*. Quæ singula cum effecero, tum luce clarius cognosces, quam misere Tosettus noster in hac refutatione lapsus sit.

Primum enim falsum est, *modos internos esse aliquid reipsa ab essentia rei diversum*. Nam extensio corporis (nisi Peripateticorum opinionem de *formis accidentalibus distinctis* iterum in scenam revocare velimus) reapse nihil aliud est, quam *ipsum corpus extensum*: quod Verneius eodem loco diligenter demonstravit. (1) Deinde falsum est, *dari modos modorum*. Sed illud, quod a nonnullis explicandi gratia vocatur *modificatio modi*, (2) est reapse *modus ipsius corporis*. v.g. *Figura quadrata non est reapse modus extensionis corporis*, sed est *modus rei corporeæ*, seu *corpus hoc modo figuratum*. *Velocitas* non est reapse *modus motus*, sed est *modus corporis mobilis*, seu est *idem corpus, quod tali modo movetur*. Tantum voce tenus, & claritatis caussa dicuntur *modificationes modi*. Quæ cum evidentia sint, non egent probatione. Ergo falsum est, *modos suam essentiam Physicam habere aliis modis affectam*. Ex quo falsitas primæ, ac secundæ propositionis Tosetti demonstratur, quod erat efficiendum.

Venio ad tertiam. Falsum etiam est Verneium scripsisse, *definitiones lineæ, & superficiei, ut a Geometris accipiuntur, esse vere reales*. Immo vero contrarium apertissime scriptum reliquit: nam ibidem declarat, *lineam, superficiem, ut a Geometris accipiuntur* (id est, sejuncta ab omni corpore) *nec esse, nec esse posse*: (3) *nec nisi in mente existere*. Si ergo existere non possunt, nulla definitio *realis* earum cogitari, nulla dari potest: propterea sunt definitiones *nominales*.

Quonam igitur sensu eas Verneius *reales* vocavit? nempe eo sensu, quo paulo ante locutus fuerat de *definitioni-*

 bus

(1) Ibid. pag. 143. Corollar. de Modis.

(2) Verneius, ut iis morem gereret, claritatis gratia, & ipse hac loquendi formula usus est, pag. 119. loquens de *abstractione*: sed ibidem monet, esse *ideam abstractam*, & *nusquam esse posse sine illis, a quibus separatur*. (3) Ibid. pag. 89.

bus vere realibus : quia quod ad præsentem rem pertinet, *naturam rei definitæ plane exponunt* . Cum enim nihil aliud Mathematici de talibus ideis abstractis constituere velint, quam quod definitione illa continetur; tali significatione naturam rei definitæ plane exponunt. Audi Verneium ipsum eodem loco disputantem in hunc modum: (1) *Hinc definitiones idearum nostrarum interdum sunt reales . Nam tametsi dum definio ideas , definio nomen* ; (Tosettus hoc vocabulum, quo controversia omnis dirimitur, non animadvertit) *tamen hæc definitio interdum naturam rei definitæ plane exponit: ut se habent definitiones aliquæ Mathematicorum, v.g. definitio puncti , lineæ , superficiei , & reliqua . Dixi, interdum , nam pleræque , ita se non habent* . Quid si Verneius non ita clare suam sententiam proponeret? Vel ipsa definitio *puncti* , quam affert, quid ipse cogitasset, ostenderet: nam punctum *Mathematicum* nec umquam fuit ullum, & a Verneio constantissime negatum est. Ergo quod tales definitiones secundum Verneium lata acceptione vocari possint *reales* , non facit *vere esse reales* . Ergo Tosettus, qui eas pro vere realibus sumpsit, Verneii sententiam consulto depravavit, quo facilius ei culpam aliquam objicere posset: quod quam dignum sit homine Philosopho, videant Philosophi ipsi.

Veniamus ad quartam. Hinc falso ait Tosettus, *lineis , & superficiebus* (seorsum a corpore) *innumeras accedere posse modificationes* : supple *Physicas* , nam de his quæstio cum Verneio est. Nam seorsum a corpore nec lineæ, nec superficies ullæ sunt: sed sunt tantum abstractæ ideæ, quas Mathematici una cum aliis ideis ex rebus corporeis acceperunt, deinde eas a ceteris secreverunt, quo facilius alio, & alio modo considerantes, aliasque cum aliis comparantes, diversas *rationes* , ac *proportiones* invenirent, ex quibus aliquas veritates deducerent.

Quare possunt illi quidem pro lubitu *naturam* quamdam lineæ, ac superficiei dare, *modos* in iis cogitare, ut proprietates aliquas eliciant: sed hæc non efficiunt, ut singula, quæ Mathematici in his cogitant, re vera, ac eodem modo corporibus conveniant. Itaque si de *modificationibus Mathe-*

(1) Ibid. pag.131. corollar.2.

Mathematicis sermo est, concedo dari posse *modificationes lineæ*, *modos modorum*, ceteraque: sin autem de *modificationibus Physicis*, de quibus agimus, sermo instituitur; constanter pernego. Ut autem Tosettus aliquid efficeret, non *essentiam Mathematicam*, aut *Metaphysicam*, considerare deberet, sed *essentiam Physicam*: qua negata, ut Verneius non uno tantum loco supradictis rebus apertissime negavit, Tosetti argumentatio evanescit. Hæc ex sententia veterum Geometrarum Verneius disputat, qui puncta, lineas, superficies considerant non ut *partes extensionis*, sed ut *extremas ejusdem modificationes*. Quod si ex Recentiorum disciplina loquimur, qui puncta, lineas, superficies, non ut modificationes, sed ut partes constituentes extensionem concipiunt, tunc alia ratione vera est opinio Verneii: de quo tamen in præsentia non disputamus.

Sequitur quinta. Falsum itidem est, *ex definitione Verneii sequi, extensionem, triangulum, lineam, superficiem, esse substantias*. Nam, ut supra demonstravimus, *hæc non habent essentiam ullam Physicam sejunctam a corpore*, quæ considerari possit seorsum a suis modis, & ad modos relata, quod ex communi acceptione adversariorum Verneius requirit. Ergo non possunt concipi aliis modis affecta.

Quod si Tosettus Metaphysicorum veterum more contendit, se bene concipere *naturam lineæ sejunctam a corpore*, & *modum lineæ*, ceteraque hujusmodi; non contendam adversus eum pro istiusmodi nugis Metaphysicis; modo illud nobis concedat, quod negari non potest, ejusmodi ideas esse *abstractas*, quæ nihil re ipsa ponunt. Nam si a regno Physico ad Metaphysicum gradum facimus, non modo illud, quod vult, Tosetto concedam, sed hoc amplius, *Chimæram* habere suam essentiam, suas proprietates, suos modos: concedam item, *Rationale* posse considerari ut essentiam, cujus sit proprietas hoc, & illo modo cogitare: voca *substantias*, voca *modos*, voca ut tibi magis placuerit, non repugnabo. Quid tum? an hæc, aliaque ingenii commenta facere possunt ut dicamus, ejusmodi res re ipsa existere, *adeo ut essentiam sejunctam a modis cogitare possimus*, quod est substantiæ? minime. Nihil ergo agit Tosettus dum ideis illis suis Metaphysicis Verneii definitionem

tionem refutare conatur. Et de his satis. Nunc alia persequamur argumenta Tosetti.

V. „ Modum tamen, *inquit*, sic definit Verneius (1) „ *id quo substantia hoc vel illo modo est, eamque quodammodo vestit, & , ut sensibus percipiatur, facit*: quæ quidem definitio tum obscurissima est, tum etiam manca, „ quia incorporearum substantiarum modi numquam efficiunt, ut eæ sensibus percipiantur. Cum igitur Verneiana substantiæ definitio probari non possit, priorem illam cum severioribus Metaphysicis adhuc retinebo, & „ *primum subjectum ejus, quod est, aut sit, quod ita existit, ut intrinsecus a nullo pendeat*, substantiam appellabo. „

ANIMADVERSIO.

Quod *modus* sit, *id quo substantia* (in sensu vulgato adversariorum, pro *substantia Physica*, seu intima *rei natura*) *hoc vel illo modo est*, quæ est ipsa *nominis* definitio; nemo nisi Tosettus negat: propterea nec hic responsione opus est. Quod vero addit, explicationem illam, *eamque quodammodo vestit, & ut sensibus percipiatur facit* (quæ duo incisa hoc loco idem significant) esse *obscurissimam*; non negò ita esse posse Tosetto; cui cetera etiam, quæ planissime Verneius scripsit, tam obscura visa fuere, ut ea ne legere quidem, aut considerare curæ habuerit: ceteris vero omnibus apertissimum est, hæc duo incisa clarius explicare definitionem *modi*. Nam esse *hoc vel illo modo*, quod pro germana definitione *modi* satis esse posset, hoc significat, esse *ornatam vel quodammodo vestitam* (2) *his & illis modis*, *qui*

(1) Metaph. libro 4. cap.4. pag.138.

(2) Nec hanc *metaphoram* perspicuam tolerare voluit severus verborum censor noster Tosettus: satis morose tamen, ne dicam injuste, nam & ipse translatis verbis frequenter utitur etiam in syllogismis: cujus exemplum habes in primo syllogismo adducto supra numero I., qui ita se habet: *Anima hominis si re ipsa agit in corpus, illi saltem cerebri regioni præsens sit oportet, in qua nervorum capita coeunt, vel quasi coeunt. Etiamsi vero in unum punctum coirent, semper est punctum physicum, & extensum. Hanc ergo regionem tota occupat anima præsentia sua*: quod etiam alibi scribit. Quæro, illæ *regiones cerebri*, illa *capita nervorum*, illud *coirent*, non sunt metaphoræ? quis neget? nihil ergo causæ video cur id Verneio det cu[illegible]

qui eam quodammodo sensibus subjiciunt, & ut sensibus percipiatur faciunt. Quis latine sciens, nec hospes in judicando, ejusmodi explicationem non intelligat? At Tosettus noster, vir sane utroque genere doctus, tamen non animadvertens Verneio ab omnibus, qui de his judicare possunt, id laudi dari, quod etiam in argumento difficili & intricato apertissime, quod sentiat, exponat; eam obscuritatis condemnat, ac Geometrarum accurationem & methodum requirit. Eugepæ!

At enim, urget, *manca est definitio, quia incorporeæ substantiæ sensibus non subjiciuntur*. Papæ! quam nova, quam mira observatio! scilicet judicavit Tosettus, Verneium eo stultitiæ devenisse, ut asseverare non recusarit, substantias incorporeas in hac mortali vita oculis videri, manibusque posse tractari. Sed parce metu, Tosetti, fatis salvæ res sunt: nec adeo desipuit Verneius, ut talia deliraret. Nempe Verneius Philosophos omnes, quos amicos habet, imitatus, ex effectis perspicuis, & sensilibus, sentiendi, volendi, cogitandi, disputandi, & ejus generis ceteris (qui sunt *modi* ipsius rei) naturæ ratione exploratum habet, esse in corpore humano animum incorporeum: atque hujusmodi argumentis Materialistas, ceterosque confutari posse sibi persuasit. (1) Ex quo verissime, atque planissime dicere potuit, *modos incorporeæ substantiæ facere, ut ipsa quodammodo* (nota bene) *sensibus subjiciatur*. Sed Tosettus, qui, ut supra demonstravimus, bellum non rebus, sed vocabulis, quæ in Verneii libro se offerunt, apertissimum & acerrimum intulit; & hic duo illa vocabula,

B 3 *Quod-*

(1) Etiam argumenta Metaphysica graviora, quibus utuntur Philosophi non hypothetici, ut efficiant *animum esse incorporeum*, in hoc versantur tota, ut, collatis inter se perspicuis proprietatibus corporis & animi, demonstrent, proprietates corporis toto cælo differre ab animi proprietatibus, & e contrario. Quare ut aliis hanc veritatem probemus, necesse est, proprietates animi, quæ in omnibus hominibus sensibus percipiuntur, colligamus, eorumque effectus perpendamus, ut id *Materialistis* persuadere possimus. Non enim, quæ conscientia tantum cognoscimus, sed, quæ sensibus externis percipimus, afferre necesse habemus, ut ipsi etiam faciunt Materialistæ. Nec Recentiores modo, sed etiam veteres Scholastici tale argumenti genus præcipue adhibuerunt; ut legi potest apud B. Thomam *Contra Gentiles l.2. c.65*.

Quodammodo, & nexum *Et*, quæ ostendunt, quam verecunde, ut Rhetores præcipiunt, his metaphoris Verneius uti voluerit, loco movere, ac exterminare sui muneris esse putavit. Quod si orationis contextum accuratius legeret, ejusmodi Logomachias, Sophista magis, quam tali Philosopho dignas, opinor effugeret. Quod si Tosettus novam aliam viam invenit, cur *naturæ ratione* (nec enim *de divina locutione* sermo est) animi humani proprietates, atque naturam illis, qui negant, demonstret; habeat, eaque fruatur: Verneius vero se non nisi ex effectis sensilibus ad causas progredi, nec alio rationum naturalium genere id ipsum aliis persuadere posse ingenue profitetur.

Quod attinet substantiæ definitionem a Tosetto traditam, sincere tibi fateor, Stay, illam adeo obscuram mihi videri, ut nihil supra. Neque enim plane intelligere possumus, quid sit *primum subjectum*, quid *intrinsecus a nullo pendere*: eaque audita, in eadem ignorantia interioris systematis rerum corporearum me versari sentio, quo eram ante: quod idem Peripateticorum definitionibus vitio vertebatur. Est itaque definitio *nominis*, non *rei*, quia nihil amplius nos docet de natura corporis. Sed ad Tosettum redeamus.

VI. „ Quod vero, *inquit*, posita materiei in infinitum „ divisibilitate, nulla vel penes Deum futura sint prima „ corporum elementa, quæ tamen non nisi ab ipso Deo. „ creari potuerunt; aperta adeo res est, ut Petrus Marti„ nus *Philosoph. Natur. lib. 1. cap. 6.* §. 112. infinitæ divisibi„ litatis propugnator acerrimus, id ultro concesserit: nec „ ego ullum, qui inficietur, adhuc inveni. „

ANIMADVERSIO.

Miram colligendi viam! scilicet, *Martinus id ultro concessit: ergo aperta res est*! Quid si Martinus erravit? quid si ex præjudicata opinione, atque ex usu ea definiendi, quæ definire non possumus, deceptus est? Nodus hic ad solvendum est difficilis. Tamen Verneius eodem loco monuerat, *se non Philosophorum nomina, sed rationes quærere*. Sed hæc Tosetto nostro e memoria exciderunt.

Ve-

Verum Cl. Martino germana ſententia eſt vindicanda: neque enim ille deceptus eſt, ſed Toſettus, qui talia Martino tribuit, de quibus numquam cogitavit. En verba Martini loco citato. *Itaque cum materiæ conſtitutio talis ſit, ut nulla detur portio adeo parva, quæ in alias minores partes reſolvi non poſſit; liquet Deum non poſſe ita materiam ſecare, ut detur pars ultima indiviſibilis*. Martinus igitur negat quidem, *dari ultimam partem indiviſibilem*, eo modo quo ipſe explicat: quod idem eſt ac dicere, *Deum non poſſe mutare eſſentiam materiæ, cujus proprietas eſt diviſibilitas*: ſed nuſquam ait, *nulla vel penes Deum futura eſſe prima corporum elementa*: ille enim pro certo ponit, Deum materiam creaſſe tali natura præditam, quæ infinite dividi poſſit. Et ibidem §.120. ait, *Deum hac in re quoſdam limites conſtituiſſe, quos natura prætergredi nequeat*: quod idem eſt ac dicere, *relate ad vires naturæ, eſſe aliqua certa corporum elementa*: *relate ad Deum, infinitas particulas eſſe materiæ elementa*. Non ergo negat, Deum aliqua elementa, quid quid tamdem illa ſint, creare poſſe.

Quod vero addit Toſettus, ſe neminem, qui id dixerit, inveniſſe; paradoxum profecto eſt. Nam omnes Orthodoxi & Veteres, & Recentiores, qui corpus infinite ſecari poſſe defendunt, pro certo habent, corpus a Deo in prima rerum fabricatione conditum fuiſſe. Ergo etiam pro certo habent, *aliqua elementa fuiſſe, quæ Deus creavit*. Quo modo, inquies? neſciunt: tamen res illis certiſſima eſt: ut etiam creatio materiæ ex nullo præcedente ſubjecto, quam non intelligunt; ut etiam complexio corporis & animi, itemque cetera phænomena Phyſica, quæ explorata habent, & quorum cauſas ſe penitus ignorare, planiſſime confitentur. Itaque non idem ſignificat, *materia eſt infinite diviſibilis*; & *materia, ſeu materiæ elementa* (vel quo alio nomine vocare tibi placeat) *creari a Deo non poſſunt*: nam illud Philoſophi admittunt, hoc non item: ſed diſerte fatentur, Deum creaſſe Materiam hac proprietate præ ceteris præditam, ut infinite ſecari poſſit. (1) Recte itaque

 Recen-

(1) Eodem modo philoſophatus eſt Carteſius, Principior. part.2. n.2. *Quin etiam ſi fingamus, Deum efficere voluiſſe, ut aliqua materiæ particula in alias minores dividi non poſſit, non tamen illa proprie indiviſibilis*

Recentiores aliqui, ut cavillandi occasionem tollant, distinguunt *elementa corporum*, & *elementa materiæ*: illa sunt determinata, hæc vero non item; sed infinitus numerus partium erunt materiæ elementa; seu, ut Leibniziane loquar, ratio sufficiens compositionis materiæ. Consule Cl. Turre loco cit. (1) qui hæc, quæ Tosettus apud neminem se legisse scribit, planissime & accuratissime demonstrat. Immo vero domesticum, eumque clarissimum scriptorem (2) consulere ipse posset, qui infinitum a Deo creari posse contendit. Sed pergamus ad alias rationes Tosetti.

VII. „ At Verneii argumentationem prosequamur. *A'„ dunt, extensionem sine soliditate in eadem re simplici esse „ posse: ut se habet anima hominis, quæ simplex est, & ex„ tensa. Extensa! cur ita? quæris? quia cum anima agat „ in corpus, oportet ei loco cerebri sit præsens, in quo ner„ vorum origo, quorum ope motus membrorum fit, existit. „ Nervi autem minimum in uno aliquo puncto Physico origi„ nem habere debent: quod punctum certe extensum est. Er„ go anima, quæ ei puncto præsens est, extensa & ipsa sit „ necesse est. Altera fallacia. At, inquiunt, sunt in hac „ sententia Rudigerus, Morus, Cudvvorthus, ceteri. Quid „ ad nos? quasi nos Philosophorum nomina, non rationes „ quæramus. Cur autem eorum philosophandi viam rejicia„ mus, in promtu est. Primum nullam hi Philosophi ideam „ claram habent naturæ animi nostri: deinde nullam de „ modo, quo est in cerebro: tum nullam de ratione, qua mo„ vet corpus: quæ duo non nisi ex effectis probare possunt. „ Male igitur ponunt pro comperta rem &c.* „

„ His antequam respondeam, animadverto primum, „ corporum extensionem secernendam esse a mentis exten„ sione, quam, si malueris, extensioni corporeæ *substantialem*

---

sibilis erit dicenda. Ut enim effeceris eam a nullis creaturis dividi posse, non certe sibi ipsi ejus dividendæ facultatem potuit adimere, quia fieri plane non potest, ut propriam suam potentiam imminuat ... Atque adeo proprie loquendo illa divisibilis remanebit, quoniam ex natura sua est talis.

(1) *Scienza della Natur. Tom.* 1. *parag.* 35. & 67. *Napoli* 1748. Et iterum in *Institut. Physic. Tom. I. sect.* 2. *cap.* 3. *n.* 125. 26.

(2) Corsinium in *Physic. Generali tract.* 3. *cap.* 2. *pag. m.* 319. *Bonon.* 1742.

„ *tialem* mentis præſentiam appellabo, ut in hac diſſer- „ tatione declaratum habes. Animadverto inſuper, & pa- „ lam fateor, argumentum pro incorporea quadam exten- „ ſione, ſeu medullæ cerebri mentis noſtræ *ſubſtantiali* „ præſentia, a me adductum, & a Verneio impugnatum „ (*fabulæ*) penes eos Philoſophos, qui *harmoniæ præ- „ ſtabilitæ, vel cauſarum occaſionalium* ſyſtemata ſibi ſe- „ ligunt, nullius eſſe roboris, ac momenti. Habere au- „ tem vim maximam penes eos, qui *ſyſtema influxus Phy- „ ſici*, ſeu *realem actionem* inter corpus & animam admit- „ tunt, adhuc mihi perſuadeo. Illud ſic breviter contra- „ ho. „ (*en demonſtrativus Toſetti ſyllogiſmus*.)

„ Mentis ſubſtantia ibi præſens eſt, ubi agit. Mens „ autem noſtra, ſi quidem realem exercet actionem in „ corpus, agit ſaltem in eam cerebri partem, in qua ner- „ vorum capita coeunt. Extenſioni ergo cuidam corpo- „ reæ anima hominis ſubſtantia ſua præſens eſt.

„ Argumentationem hanc fallaciam vocat Verneius: „ (*non ex Toſetti lectione, ſed ex lectione illorum, qui „ multo ante* (1) *ea uſi fuere*) At hanc ego fallaciam „ plane

(1) Putat Toſettus noſter, ſe aliquid novum hic nobis dare, nam ait: *Argumentum, quo utor, vim maximam habere debet*. & pag. 17. n. XI. ſcribit: *Se validiſſimum argumentum hoc ſyllogiſmo habere, quo extenſionem animæ tribuat, & Peripateticos ab obtrectationibus vindicet*. Sed ego nihil hic video novum, quo non Philoſophi multo ante uſi ſint. Immo vero ſine ullis ambagibus, & multo clarius a Peripateticis dicebatur, animam eſſe per totum corpus diffuſam, *quia corpus re ipſa vivificat; quia eſt forma ſubſtantialis corporis; quia in omni corporis parte aliquid agit*. Audi Conimbricenſes de Anima l. 2. cap. 1. art. 2. aſſert. 1. *Anima informat quamlibet partem corporis, . . . quia nulla ſubſtantia corporea vivit, niſi quia habet animam. Adde cum unicuique compoſito naturali una tantum inſit forma ſubſtantialis, neceſſario animam in toto corpore eſſe*. Et infra: *Itaque anima ex gr. ſecundum aſpectum in oculis, ſecundum auditum in auribus, ſecundum phantaſiam in cerebro inſidet*. Quæro nunc: nonne hæc argumenta ponunt tamquam certum, *animam ibi præſentem eſſe, ubi agit*? quid ergo novi affert Toſettus, dum confugit ad nervorum capita, niſi rem, quam Veteres apertiſſime enuntiarunt, circuitione verborum obſcuriorem facere.

Quid? Swammerdamius, Perraultius, Stahlius, ejuſque diſcipuli, qui mordicus tuentur, *omnes motus & vitales & animales ab anima proficiſci*, nonne animam his motibus in toto corpore præſentem faciant?

„ plane non video : nisi forte quasi certum statuendum
„ putet, substantias ibi agere, ubi non sunt : aut, me in-
„ vito ac reluctante, velit argumentum adversus Carte-
„ sia-

ciunt? Vide Stahlium de *Motu tonico pag.29. 30. tomo 1. Differt. Hale* 1707. Quid? nonne (ut de la Chambre, aliosque omittam) Morus de *Immortal. animæ cap.8. 10. 11.* ex effectu cogitandi, volendi, spontanee movendi nervos, vel mutandi directionem motus in conario; itemque ex effectu sentiendi, atque agendi in singulis partibus corporis, infert, animæ partem intellectivam in quarto ventriculo cerebri, plasticam vero in toto corpore esse? Ergo hæc ratio colligendi ex actione animæ præsentiam, ex præsentia in plurimis locis extensionem, tam vetus est, quam quæ maxime.

Sed ut videas quam fallax sit hæc colligendi via, animadverte, aliquos Philosophos ab eodem Tosetto laudatos, ex eodem principio contrarium inferre. Leibnizius (ut habes in nota, quæ sequitur, & in *Troisieme Ecrit de M. Leibniz. n.35. Recueil. de diverses pieces, tom.1.*) concedit, animam immediate præsentem esse corpori, & cerebro: nihilominus ait, *inde non sequi, animam esse extensam*. ibi n.37. *Il est aussi inexplicable, que l'Ame soit diffuse par le cerveau, que de faire qu'elle soit diffuse par le corps tout entier*. Cartesius animam præsentem toti corpori facit, & arctissime conjunctam cerebro, & conario, in quo nervorum originem ponit, & ibi aliquid etsi exiguum agere dicit. (*Probatur autem evidenter animam non quatenus est in singulis membris, sed tantum quatenus est in cerebro, ea, quæ corpori accidunt in singulis membris, nervorum ope sentire*. Princip. p.4. n.196. eadem repetit Dioptricæ cap.4. n.1. 2. 3.) Et tamen extensam esse negat. Ergo ex eodem principio, *præsentia, & agitatione nervorum, vel mutatione directionis spirituum*, colligunt alii, *non posse probari animam esse extensam*. Contra vero Tosca philosophus Gassendianus *in Metaph. Reali l.1. cap.4. prop.30.* etsi concedat *animam esse præsentem capitibus nervorum, eaque agitare*; tamen ex hoc fonte non putavit deduci posse, *eam esse extensam*; sed ex alio capite, *nempe quia quidquid est, extensum est:* quo posito, animam per omnes partes corporis extendi, *quia*, inquit, *nulla est ratio, quæ ita unam partem convincat, ut aliam falsam esse demonstret*. Ergo Tosetti principium atque argumentatio evidens non est, nam contrariis propositionibus opitulatur.

Sed ad rem propius veniamus. Ipsissima argumentatio Tosetti opposita fuit Clarkio a Leibnizio. Concedebat Clarkius, *animam esse præsentem sensorio, & agere in capita nervorum*: hoc modo: *l'Ame agit seulement sur le cerveau, ou sur certains nerfs, & sur les esprits. Troisieme Replique de M. Clarke n.12.* concedebat non esse præsentem in unico tantum puncto: *Quoi que l'Ame soit indivisible, il ne s'ensuit pas qu'elle n'est présente que dans un seul point. Seconde Replique n.4.* Sed esse

„ ſianos, & Leibnitianos, qui nullam agnoſcunt inter
„ mentem, & corpus realem actionem, a me proferri.
„ Quod ego tamen in ipſo, quem examinat, & reprehen-
„ dit Verneius (*iterum fabulæ*) lucubrationis meæ loco,
„ maxime caveram. Ibi enim ſic habeo: *Argumentum,*
„ *quo utor, vim maximam habere debet penes eos omnes,*
„ *qui harmoniæ præſtabilitæ, & cauſarum occaſionalium*
„ *ſyſtemata rejicientes, verum commercium corpus inter,*
„ *& animam, mutuamque actionem, & paſſionem agno-*
„ *ſcunt.* „ (1) Hactenus ille.

ANI-

---

eſſe præſentem in tota ſua ſphæra: *ibidem n.5.* Negabat tamen, eſſe extenſam per totum cerebrum. *L'Ame n'eſt pas rependue dans le cerveau, mais elle eſt préſente dans le lieu, qui eſt le ſenſorium. Quatrieme Replique n.37.*

Opponebat Leibnizius: Tu concedis, animam eſſe præſentem loco, in quo agit, nempe nervis in ſenſorio. Senſorium eſt extenſum; ergo etiam anima. *On me dit, que l'Ame n'eſt pas dans le cerveau, mais dans le ſenſorium, ſans dire ce que c'eſt que ce ſenſorium. Mais ſuppeſé que ce ſenſorium ſoit etendu, comme je crois qu'on l'entend; c'eſt toujours la meme difficulté, & la queſtion revient, ſi l'Ame eſt diffuſe par tout cet etendu, quelque grand, ou quelque petit qu'il ſoit. Cinquieme Ecrit de M. Leibniz. n.98.* Quid ad hæc Clarkius? admittit animam implere ſenſorium, ſed negat *habere partes diſtinctas, & independentes, ut habet materia. Cinquieme Replique de M. Clarke n.98.* Ergo Clarkius concedit, *ex actione in capita nervorum, quæ ſunt in ſenſorio, ſequi animam implere ſenſorium:* ſed non ſequi, *animam habere partes ut materia:* nam *l'Ame toute entiere voit, entend, & penſe, comme étant eſſentielement un ſeul etre individuel.*

Quid ergo novi affert Toſettus, niſi ea veluti nova hic repetere, quæ & fine ſuperioris ſæculi, & initio præſentis Philoſophi clariſſimi ſcripta reliquere, idque in libris, qui in omnium manibus ſunt, & qui tam noti erant Verneio, quam Toſetto?

Nec diſſimili argumento Toſca laudatus, qui ante annos 33. Philoſophiam vulgavit, in *Metaph. Reali L.1. C.1. prop.2.* probat animam, & ſpiritus eſſe extenſos, his verbis: *Quidquid enim eſt, extenſum eſt: non enim eſſe poteſt in puncto Mathematico: ergo in Phyſico, quod extenſum eſt, & potentia diviſibile: ergo ſpiritus ſaltem in puncto Phyſico eſt: ergo habet extenſionem.* Quare nihil eſt cur Toſettus hoc ſibi vindicet quaſi novum, quod aliis bene multis familiare fuit probandi genus.

(1) Etiam hic fallitur bonus Toſettus: nam argumentum, quo ille utitur, ſi aliquid efficere poſſet, tam efficeret contra *Occaſionaliſtas, &*

Harmo-

ANIMADVERSIO

Si Tosettus probe examinaret, quam graves rationes paucis illis verbis Verneius tetigit, & melius de proposita controversia judicaret, & penitus cognosceret, se Verneii, ceterorumque rationibus nullo modo occurrere posse. Sed de his paulo post. Nunc ad Tosetti argumentationem, quam ille quasi Achillem suum toti adversariorum phalangi opponere non dubitat.

Nempe non intelligit Tosettus fallaciam supradicti syllogismi! nihil tamen apertius se offert. Quod ut accuratius efficiam, utar Dialecticorum respondendi forma. Distinguo majorem, *anima ibi præsens est, ubi agit*, id est, non

---

Harmonistas, quam contra *Influxionistas*: quod sic demonstro. Tosettus ex eo *quod anima præsens est capitibus nervorum*, quæ agitat, colligit, contra Influxionistas animam tam esse extensam, quam nervorum capita. Sed *Occasionalistæ* omnes ponunt etiam tamquam certum, *animam esse præsentem iisdem capitibus nervorum*, ex quorum varia affectione varie afficitur ipsa; ponunt *capita nervorum esse physice extensa*. Quod, ut ceteros omittam, affirmat Purchotius Physic. sect.3. c.2. prop.2. *Cerebri medullæ, seu callosæ parti maxime conjuncta videtur anima rationalis, cum in eam partem omnes totius fere corporis nervi tamquam in fibrillarum nervosarum contextum, desinant; ibique spiritus animales mentem ad cogitandum velut occasiones quædam determinent*. Et infra: *Animæ sedes ubicumque sita sit, non longe ab eo loco, in quem nervi omnes desinunt, remota esse videtur*. Ergo eodem jure contra eos inferre posset, animam esse extensam. Præterea *Harmonistæ* & ipsi fatentur, animam præsentem esse corpori, præsentemque in cerebro. Audi Leibnizium ipsum: *L'ont peut entendre par la* (l'harmonie) *comment l'Ame a son siege dans le corps, par une présence immediate, qui ne sçauroit être plus grande, puis qu'elle y est comme l'unité est dans le resultat des unitez, qui est la multitude. Sisteme Nouveau de la nature. Journal des Savans* 1695. *pag.*458. *Amsterd.* Et iterum: *Outre que l'Ame étant indivisible, sa présence immediate qu'on pourroit s'imaginer dans le corps, ne seroit, que dans un point. Second. Ecrit de M.Leibniz. n.*4. ubi etiam concedit Clarkio, *animam esse præsentem cerebro, sed id non sufficere, ut objecta externa percipiat*. Confer. Wolfius *Psych°log.Rat.* §.614. & 620. Ergo etiam contra *Harmonistas* valeret argumentum, si aliquid posset. Verum recte Leibnizius vidit, tale argumentum *ex præsentia* ductum nihil valere ad probandam extensionem: ut diximus supra in nota, & dicemus paulo post n.VIII. in nota.

non agit nisi in fabrica ubi est, concedo: non agit nisi eo loco, & modo, quo ego concipio, nego: Tum eadem ratione nego minorem, & consequentiam. Explico responsionem.

Major propositio est vera tantum lata acceptione: nempe verum est, animum, qui est Romæ, non agere Parisiis: item animum Petri non agere in Paulo. (1) E contrario verum est dicere, animum, qui præest Petro, esse in Petro: item animum, qui cogitat in cerebro, in cerebro esse. At cum omnino ignoremus, quo modo animus complectatur corpus, & quo in loco corporis animus existat; an in toto corpore, an in toto cerebro, an in aliqua ejus parte; propterea certo constituere non possumus, qua ratione animus suum corpus agitet: an ope fluidi cujusdam, an tantum nervorum, an alio modo nobis omnino incognito: (2) nec nisi ex conjectura penitus incerta Philosophi affirmare aliqua solent: quod Verneius in Logica (3) disertis verbis admonuit. Ergo talis propositio quod ad hanc partem, seu *modum agendi*, est incerta omnino.

Minor propositio ea de causa negatur, quia duo pro certis ponit, quæ prorsus incerta sunt. Unum est, *animum, ut agat in corpus, agere debere saltem in eam cerebri partem, in qua nervorum capita coeunt*. Id prorsus incertum est, nec nisi ab eo definiri poterit, qui perspicue intelligat, quo pacto animus moveat corpus: quod nemini mortalium intelligere datum est. Alterum est, *nervorum capita in unam cerebri partem coire*: quod etiam incer-

(1] Eodem modo de Angelorum operatione locuti sunt Patres. Damascenus de *Fide Orthod. l.1. c.17.* Et Basilius ait, *Animam vero ex consequenti, ac veluti accessionis instar in loco esse propter habitudinem ad corpus, cum ex naturæ suæ proprietate loco minime circumscribatur. Homil.2. de Parad.* Eodem modo Nemesius *de Natura Hominis cap.3.* Vide Hamelium Theol. *de Angelis cap.5.* ibi: *Circumscribi loco idem est apud PP. ac certo definiri loco, adeo ut ita sint præsentes uni loco, ut alibi non sint: non autem sic toti sint in aliquo loco, ut partes eorum partibus loci respondeant.*

(2) *Ego vero existimo* (nempe sedem animæ) *ex iis esse, quæ a nobis explicari non possunt.... Quæ adeo obscura sunt, ut quid pro certo affirmemus, non habeamus.* Verneius Logicæ lib.2. pag.45.

(3) Pag.46.

certum est, ut ex accuratioribus Anatomicis eodem Logicæ loco (1) confecit Verneius. (2) Itaque affirmare pro certis, & exploratis duo, quæ omnino incerta & obscura sunt, est falsum dicere: propterea utraque illa propositio pro falsa etiam haberi potest.

Hinc manifeste demonstratur fallacia adducti syllogismi: quæ in hoc sita est, quod ex altera propositione limitate vera (id est quodam sensu vera, quodam, de quo maxime quæstio est, dubia) ex altera quoad utramque partem penitus incerta (ne dicam quoad utramque partem falsa) certam, & absolutam, ut ita dicam, propositionem inferat. Quid autem est, si non hæc fallacia, & *inductio vitiosa* est?

Sed ut fallacia *inductionis vitiosæ* clarius ostendatur, fac ex sententia Tosetti syllogismum hoc modo: *Ego certo scio animum non posse movere corpus, nisi tam sit extensus, quam totum corpus, vel saltem pars cerebri, in qua nervorum capita sunt. Sed animus movet corpus. Ergo tam est extensus &c.* Hic manifestum est, majorem esse falsam. *Unde enim certo id novit* Tosettus? quis illi certo ac distincte narravit, animum, nisi tam sit extensus, quam corpus, vel saltem quam cerebri pars, movere id non posse? quis illi omnes modos explanavit, quibus animus movere corpus possit; ut certo dicere queat, aliis modis non movere, hoc tantum movere? idem de nervorum capitibus dicendum est. Unde enim Tosettus certo habuit, animum

(1) Ibid. pag. 46.

(2) Nervos *animales* & *voluntarios*, de quibus hic sermo est, non in unam cerebri partem coire, ut hic affirmat Tosettus, exploratum Anatomicis est. Diserte id docet Boerhaavius. *Nullibi vero*, inqnit, *extat punctum aliquod, a quo totum nervorum systema oriatur. Prælect. Volum.* 2. §. 296. Immo Hallerius ex sententia Boerhaavii, & Ridley, fatetur, *omnes nervos & a cerebro, & a cerebello fibras habere*. In not. *ad Boerhaavium de somno* §. 600. *pag. m.* 596. *seqq.* sed cum ibidem affirmet, *olfactorium a cerebro unice provenire; ex cerebello vero nervos aliquos animales & voluntarios oriri; organorumque sensuum motus involuntarios item agnoscas*; satis clare demonstrat, veram nervorum originem sollertissimis, ac diligentissimis Anatomicis adhuc esse ignotam. Vide *Hallerium ibi ad* §. 273. *de Medulla cerebri pag. m.* 546. - 47. Et quod mirabilius, ipse Tosettus alio loco, nempe pag. 12. n. V., cum Boerhaavio consentit.

mum non alio modo, quam capita nervorum agitando, movere membra? Ergo non enumerat omnes modos movendi. Ergo falso reliquos excludit, unum præfert. Ergo ex propositione aperte falsa falsam conclusionem inferat necesse est.

At enim, inquies, potest Tosettus dicere hoc modo: *Ego probabiliter judico, animum non posse movere corpus, nisi sit extensus &c.* Esto: sed quodnam argumentum probabile affert ut id dicat? Ego nihil aliud ex ejus scriptis colligere possum, nisi quia sibi persuadet, *animum non posse movere corpus, nisi saltem tam sit extensus, quam nervorum capita.* At id nos supra falsum esse demonstravimus. Ergo quamcumque se in partem vertat, falsum principium ponit, *nempe rem omnino dubiam pro explorata.* Ergo paralogismi reus est, atque ex enumeratione vitiosa colligit vitiose: non enim ille non dico certe, sed ne probabiliter quidem enumerare potest omnes modos, quibus animus movere possit corpus, ut ceteros excludat, unum tantum admittat.

Hactenus syllogismum Tosetti peccare ostendi, admittens illum thesi nostræ adversari. Nunc presse demonstrabo, idque ad *hominem*, uti vocant, talem syllogismum aliud probare, *quam quod probandum erat*, quod est aliud sophismatis genus. Quod ut clarius intelligas, perpende illud, quod tali syllogismo præmittit. Primum aperte fatetur Tosettus, *extensionem animi esse diversam ab extensione corporis.* (1) Deinde fatetur, *talem animi extensionem nihil aliud esse, quam substantialem mentis præsentiam corporeæ extensioni.* Igitur, *si extensio animi differt omnino ab extensione corporis*, nec aliud est, *quam esse re vera præsentem rei in qua agit*; sequitur, *animum re ipsa non esse extensum.* Quis enim adversariorum umquam negavit, animum reapse præsentem esse corpori, in quo agit? Si nihil aliud quærit Tosettus, concedi potest integer syllogismus, quin aliquid conficiat adversus Verneium: omnes enim, & qui influxum Physicum admittunt, & qui rejiciunt, concedunt, *animum esse præsentem corpori*, in quo

(1) Idem repetit Tosettus pag. 22. *Spirituum extensionem ab extensione corporum apprime differre.* Et pag. 23. *Aliam esse corporum, aliam mentium extensionem.*

quo vel re ipsa agit, vel saltem agere nobis videtur; uti supra demonstravimus. Sed hæc longe differunt a *vera extensione*.

Quod si aliquid amplius colligere vult: v. g. si dicat: *Anima re ipsa præsens est corpori: ergo re ipsa tam est extensa, quam ipsum corpus*: primum sibi non constat, deinde paralogismum admittit. Non constat sibi, nam si animus tam est extensus quam corpus; ergo *extensio animi est similis extensioni corporis*: ergo *spiritus figuram habet*: ergo *non est tantum substantialis præsentia*: contra id, quod posuit. (1) Paralogismum facit, nam hæc argumentatio: *Anima præsens est corpori: ergo est extensa*; est aperte falsa: non secus atque hæc: *Anima existit in corpore figurato: ergo est figurata*: itemque hæc: *Deus est præsens omnibus corporibus: ergo est extensus. Occupat totum mundum figura præditum: ergo est eadem figura præditus*. Cum enim de modo, quo res incorporea præsens sit, ideam nullam habeamus; qui ex *mera præsentia rei incorporeæ* infert *veram extensionem ejusdem*; ex principio quod ad naturam rei sibi penitus ignoto infert aliquid, cujus nullam habet notionem, idest, *ex principio incerto infert propositionem certam*: proinde paralogismi reus est.

Quid? nonne Tosettus dum rationem talis extensionis a se quærit, respondet, *Audacius, quam par sit, hæc a nobis inquiri*? (2) nonne se auctoritate Cl. Moshemii tuetur, qui modeste fatetur, tale quid sibi esse incognitum? Nihil igitur explorati de tali re habet Tosettus: propterea inconsiderate id affirmat. (3)

At

(1) *Nulla si accurate loqui velimus, mentis substantiæ figura tribui potest*. Tosettus ibid. pag. 23. (2) Ibid. pag. 21.

(3) Rectius faceret Tosettus si eidem Moshemio auscultaret ita monenti: *Utrum Deus, & animi simplices extensi sint quodammodo, nec ne? tractandum & dirimendum aliis committo. Utraque pars difficultatibus premitur, quibus solvendis, & explicandis nemo mortalium par est*. Et infra declarat eos, qui affirmant, verbis tantum differre ab illis, qui extensionem negant. *Plurimi eorum*, inquit, *qui Deum, & animos extensionis esse statuunt participes, cum postea ad hujus sententiæ illustrationem, & extensionis, quam spiritibus tribuunt, declarationem pergunt, tot opinionem suam sepimentis vallant, totque distinctionibus muniunt, ut ab ea parte, cum qua dissentire volunt, parum abesse videantur*. Ad System. Intell. cap. 5. Sect. 3. §. 53. nota 2.

At enim Tosettus ibidem (1) ait, *Corporis, & spiritus extensionem differre, quod illa sit solida, hæc nullo modo*: & adducto Augustini loco, ita claudit: *Habes ergo mentis extensionem ab extensione corporum omnino diversam*. Fateor id dicere, sed, nulla ratione Philosophica probat. Porro Augustinus laudata *Epist. 166. alias 28. ad Hieronymum*, non dicit, animam esse extensam longitudine, latitudine, altitudine, quod vult Tosettus; sed esse incorpoream, & indivisibilem: immo vero addit, non esse corpoream, si corpus accipiatur pro re extensa triplici dimensione. En verba Augustini:

Si corpus est omnis substantia, vel essentia, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summe incommutabilis, & ubique tota est, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est. Porro si corpus non est nisi quod per lòci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, & breviore breviorem, minusque sit in parte quam in toto; non est corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali diffusione, (en solutio controversiæ, quam non consideravit Tosettus) *sed quadam vitali intensione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, & in majoribus major; sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est*. Qui quidem locus summum probat, animam esse indivisibilem, esse in loco *definitive*, ut Schola vocat, ac proinde non esse vere extensam. *Nam esse extensam re ipsa*, ut vult Tosettus, hoc significat, *esse trine dimensam, longitudine, latitudine, & altitudine*: id est *esse commensurabilem spatio, esse figuratam*. Quod si Tosettus putat, aliquid esse posse *re ipsa extensum*, quod non sit *trine dimensum*, fatemur id tale mysterium esse; quod nec nos homunciones mente informare possumus, nec Tosettus ulla arte Philosophis umquam persuadebit.

Tantum autem abest, ut Augustinus animam re ipsa extensam faciat, ut contra integro libro *de Quantitate animæ*, omni argumentorum genere persuadere conetur, ani-

C mam

(1) Ibid. pag.22.

mam omnis extensionis esse expertem: atque ibidem aperte distinguit *præsentiam*, *& extensionem* animæ; demonstratque animam esse *aliquid*, quamvis *extensa* non sit. *Quanta sit anima*, inquit, *tibi respondere non possum: sed possum affirmare, neque illam longam esse, neque latam, neque robustam, neque aliquid horum, quæ in mensuris corporum quæri solent ..... Non solum tibi ex eo anima nihil esse videatur, quod in ea non invenis longitudinem, sive aliquid tale; sed eo pretiosior, & pluris æstimanda sit, quo nihil horum habet*. (1) Et intra: *Profecto quia anima corpus non est ..... procul dubio caret spatio, quo corpora metiuntur: & ob hoc quæri, aut cogitari, aut intelligi talis ejus quantitas non potest*. (2) Et eodem capite declarat, animam *esse virtute sua præsentem corpori, quamvis non sit extensa re ipsa*. *Quid mirum*, inquit, *si anima neque corporea sit, neque ulla aut longitudine porrecta, aut latitudine diffusa, aut altitudine solidata: & tamen tantum valeat in corpore, ut penes eam sit regimen omnium membrorum, & quasi cardo quidam in agendo cunctarum corporalium motionum?* Eadem persequitur sequentibus capitibus, immo vero addit, argumentum illud ductum *ex sensu in singulis corporis partibus*, non efficere animam esse re ipsa extensam. *Nunc attende potius*, inquit, *quid aliud afferas, quo convincas animam vel longam, vel latam esse, vel quid hujusmodi, nam illud argumentum tuum de tangendi sensu, sentis non attingere veritatem, nec valere aliquid, ut eam per totum corpus, tamquam sanguinem, diffusam esse convincat*. (3) Quid clarius? frustra igitur Augustini auctoritate se munire contendit Tosettus. Et quamquam Augustinus in constituenda significatione *corporei*, & *incorporei*, varius fit; dum animas comparatas cum Deo *corporeas*, cum corpore autem *incorporeas* dicit; Angelos vero *ex corpore, & spiritu constantes facere videtur*; ut ex primo loco supra descripto perspicuum est, idque luculenter docet Petavius (4) ac Berti; (5) tamen satis constans est in docendo, *animam non esse re ipsa extensam*; quod opinioni Tosetti prorsus contrarium est.

Quid

(1) Ibi cap.3. (2) Ibi cap.4. (3) Cap.30.
(4) De Angelis lib.1. cap.2. n.10. & cap.3. n.12. & cap.4. n.1. & 2.
(5) De Theologic. Discipl. lib.10. cap.2. pag.257. -58.

Quid si Augustinus animam re ipsa extensam faceret? an coacti essemus omnes eodem modo philosophari? An ignorat Tosettus Augustinum ex Platonicorum disciplina multa protulisse, quæ ceteris Philosophis non arrident, & quæ nullo modo admitti possunt: quod nec ipse doctissimus Berti, strenuus ceteroqui Augustini defensor, negare ausus est? (1) Profecto memoria tenere debuisset Tosettus illud, quod de auctoritate sive paucorum, sive plurium Patrum, in iis, quæ naturæ lumine continentur, una omnium voce dicunt Theologi cum clarissimo Cano: (2) scilicet *tantum pollere, quantum ratio naturæ consentanea persuaserit*. Quare nullum in tali casu ex Augustini loco firmum argumentum deduci posset. Quod etiam de Ambrosii loco, quem profert, dicendum videtur. Eo magis, quod liber *de Dignitate Humanæ conditionis*, quem citat Tosettus, non est Ambrosii: quod Monachi S.Mauri diserte docent. Deinde, quia etsi esset Ambrosii, nihil aliud talis locus efficit, quam animum esse indivisibilem; non tamen efficit, esse re ipsa triplici mensura extensum, quod vult Tosettus.

Fatendum est igitur, Tosettum suo se gladio jugulare. Primum, *quod extensionem spiritus* ab *illius præsentia* non distinguit; quod idem est ac negare *veram animi extensionem triplici mensura*, de qua controversia in præsentia est. Deinde, quod rem talem nobis persuadere cupit, cujus nec ipse habet ideam, nec eam aliqua ratione, aut similitudine naturali probabilem facere potest: extensionis enim corporeæ ideam omnes habemus, spiritalis vero nullam. Postremo, quia etsi daremus, animum quodam sensu vocari posse extensum; tamen cum Tosettus sine ulla circuitione planissime fateatur, talem extensionem *esse apprime differentem ab extensione corporea; atque extensionem improprie appellari*, (1) quod idem est ac dicere, non replere spatium trina dimensione; nullum inde argumentum duci potest ut efficiamus, *veram extensionem, & simplicitatem in corpore una esse posse*: propterea argumen-

(1) Ibid. (2) De locis Theologicis lib.7. cap.3.
(1) Tosettus ibid. pag.22. & 23.

tum Tosetti *aliud omnino probat*, *quam quod probandum est*.

Quod si adhuc de fallacia dubitas, revoca rationem Tosetti ad unum syllogismum hoc modo: *Animus non modo habet proprietates omnino diversas a corpore, sed nominatim extensio animi est apprime diversa ab extensione corporis, & improprie vocatur extensio. Sed animus est simul indivisibilis, & improprie extensus. Ergo etiam corpus erit indivisibile, & vere extensum*. Quis non videt hunc syllogismum esse meram fallaciam? Quis non illico animadvertit, quatuor hic terminos præcipuos, contra leges boni syllogismi, se offerre: nempe 1. *animus*, 2. *extensio ejus omnino diversa a corpore*, 3. *corpus*, 4. *extensio ejus omnino diversa ab animo*; proindeque non esse eumdem medium terminum? Immo vero ex eo quod animus habet proprietates omnino diversas a corpore, itemque extensio animi improprie vocatur extensio, atque toto cælo differt ab extensione corporis; inferre deberet Tosettus, *illam indivisibilitatem, quæ præcipua spiritus proprietas est, corpori convenire non posse*: & e contrario, *illam extensionem, quæ aperte proprietas est corporis, animo convenire non posse*. Saltem ut moderatissime philosopharetur, hoc modo inferre deberet: *Ergo nescimus, an indivisibilitas corpori, an extensio animo convenire possit*. Quocumque autem modo accipere velis, semper Tosettus de paralogismo postulatur. Hæc satis perspicua sunt, quare non opus est alias rationes conglomerare. Audi ea, quæ restant.

VIII. „ Quod si, *inquit*, animadvertisset Verneius „ (*nempe argumentationem Tosetti in systemate tantum influxus physici* (1) *vim maximam habere*) perspexisset „ sane, futilia esse, quæ congerit: *nullam hi Philosophi* „ *ideam claram habent naturæ animi nostri: nullam de modo, quo est in cerebro: nullam de ratione, qua movet corpus*. Quid enim refert hæc ignorari, dummodo anima „ in totam cerebri medullam re ipsa agat? An de natura „ Dei claram & adæquatam ideam habemus? an de modo „ quo nobis intime præsens est? an de ratione, qua omnia „ conservat, & movet? Quis tamen idcirco negaverit, nisi „ ine-

(1) Jam supra demonstravimus n. VII. in not. hic falli Tosettum.

„ ineptire voluerit, divinæ substantiæ ubique præsentiam,
„ & actionem non revelatione tantum, sed etiam ratione
„ absque ulla fallacia demonstrari? „

ANIMADVERSIO.

Habes hic, Stay, memorabile documentum, quam facile præpostera consuetudo de rebus, quæ mente percipi non possunt, judicandi, homines etiam doctissimos, ut Tosettus est, transversum rapiat: quod breviter demonstrabo. Sed ante considera aliud Tosetti Sophisma. *Quid refert*, inquit, *hæc ignorari, dummodo anima in totam cerebri medullam re ipsa agat?* Hæc propositio duplicem interpretationem habet, & in utraque manifesta se offert *petitio principii*. Primum hoc dicere vult: *Certum mihi est, animam in totam cerebri medullam re ipsa agere. Ergo ut dicamus illam esse extensam, nihil refert intelligere animæ naturam, & modum quo agit*. Ubi manifestum est, Tosettum ponere tamquam certum & perspicuum, *animam tali modo agere*. At hoc ipsum in quæstione est, & id negat Verneius in Logica, & Metaphysica, ab ullo mortalium definiri posse. Omnino enim incertum est, an anima, ut moveat corpus, agere debeat in totam cerebri medullam, an in aliquam illius partem, an moveat musculos alio modo incognito.(1) Ergo Tosettus hic *petit principium*. Deinde hoc dicere vult: *Certum etiam est, animam si tali modo agit, esse revera extensam triplici dimensione*. Quod etiam in quæstione est, disputatur enim, an *anima ut agat in corpus, esse debeat extensa triplici dimensione*. Verneius negat, Tosettus ait, atque id pro certo hic sumit. Ergo *petit principium*. Quid si non peteret? nihil efficeret, semper de paralogismo accusaretur: nos enim paulo ante demonstravimus,

(1) Id satis demonstrant plurimæ, & diversæ de hac re Philosophorum opiniones. Scholastici animam certo modo corpus movere dicunt. Cartesius suo modo. Morus alio modo sibi peculiari; nempe *perceptivam* partem animæ ponit in cerebro, *plasticam* partem in sensibus, idque necessario auxilio spirituum. Swammerdamius, Stahlius, ceteri, singulari motu tonico & vitali. La Chambre miro quodam modo ab reliquis diverso. Clarkius, & Newtoniani reliqui verum motum admittunt, sed modum explicare se non posse dicunt. Reliquis supersedeo.

mus, ejusmodi consectarium: *Anima in corpus agit, ergo est vere extensa*; esse falsum, esse sophisma, & esse contrarium eidem Tosetto. Verum hæc obiter. Venio ad reliqua sophismata, quæ hic admittit Tosettus, & quæ tali ratione demonstro.

Nemo homo, ut tu optime scis, Stay, habet ideam claram animi nostri. Tantum ex effectis, qui nulli corpori congruere possunt, inferimus, esse in homine rem, quæ non est corpus, id est indivisibilem, quæ sentit, intelligit, ratiocinatur, libere vult, ceteraque: quæ cognitio argumentatione acquisita quod ad existentiam rei, clarior; quod ad naturam, est penitus obscura. Hinc nemo exponere potest, quid reipsa sit animus noster: an sit hoc potius, quam illud: quam vim habeat: an hoc, atque illud facere possit, an non. Quare nihil de spiritu nostro naturæ ratione asseverare possumus, nisi illud tantum, quod ex rebus, quas efficit, perspicuum est. Quid animus præterea facere possit, quid aget seorsum a corpore, nescimus: nulla hic analogia rerum corporearum nos juvare potest. Hæc plane perspicua sunt.

Præterea ignoramus omnino, quid sit insensilis cerebri nostri fabrica, cuique usui singuli tubuli, cui bullæ, cui sinus, cui nervi, cui singulæ fibræ sint. Quod non veteres Anatomici modo, sed gravissimi quique, & accuratissimi recentiores sincere professi sunt. (1)

Illud autem mente complecti prorsus non possumus, quo modo animus & corpus, duæ res natura adeo differentes, conjungantur, adeo ut animus pro arbitrio suo corpus agitet, ab eoque mutuo afficiatur. (2) In hoc negotio tanta ignorantia laboramus, quantam ipsa varia systemata, quæ a Philosophis excogitata sunt, ut eam complexionem ex-

(1) *La meccanica del cervello è tanto incognita, quanto è difficile la dimostrazione della struttura delle sue differenti parti: dico di quelle ancora, che più dell'altre si credono conosciute.* Winsolw. Esposizione Anatomica del Corpo Umano. Tomo 5. pag.4. Bologna 1743.

(2) *Modus quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest.* Aug. de Civit. Dei l.21. cap.10. Adde Tosettum pag.27. ibi: *Ignorat profecto mens quo adminiculo, quo instrumento, quo actionis genere, arcanos hosce motus in corpore ipsa eadem velut domina, & arbitra efficiat.*

explicarent, apertissime ostendunt. Nihil enim tales hypotheses nos doctiores fecerunt: nec adhuc certo definire possumus, an animus in solo cerebro sit: multoque minus, quo pacto ibi tamquam in arce, ac sede sua resideat; quoque modo & ratione, quibus auxiliis membra flectat.(1) Hæc a nemine sanæ mentis negari possunt.

Fac igitur, Stay, hoc ipsum, quod exploratissimum omnibus est, pro una enthymematis propositione assumas hoc modo: *Nemo intelligit, quid sit natura animi nostri, quas vires, quas proprietates habet, præter eas, quæ sensibus hauriuntur, aut ex iis necessaria consecutione nascuntur. Ergo recte concludimus, animum nostrum esse vere extensum.* Sume tibi alteram propositionem hoc modo: *Nemo intelligit, quid sit natura, ac fabrica cerebri humani; ubi omnino desinant nervi; quoque modo animus in eo sit. Ergo recte colligimus, animum tam esse extensum, quam nervorum capita.* Sume tertiam in hunc modum: *Nemo mente percipit, qua ratione animus noster corporis fabricam agitet, an nervorum ope, an alio præsidio, & quomodo: nemo quo pacto corpus vicissim animum afficiat: sed tantæ hic tenebræ se offerunt, quantæ alibi nusquam in toto Physico regno. Ergo recte inde colligimus, animum in totam cerebri medullam re ipsa agere, illique parem extensione esse.*

Quis hic non videt, tria hæc esse sophismata, nempe ex re omnino involuta & incerta certam conclusionem sine ulla dubitatione colligere? At id non vidit Tosettus, qui cum in animum induxisset, nullam in primo illo syllogismo esse posse fallaciam; ut id nobis probaret, talem responsionem excogitavit, in qua plura & apertissima sophismata vel primo aspectu se offerunt.

Confer nunc, Stay, cum illa colligendi formam Verneii ex tribus illis propositionibus, quæ ita se habet. *Nemo intelligit qualis sit natura animi nostri, nec alias proprietates, præter illas, quas sensibus quodammodo percipimus, notas habet. Ergo constituere nemo potest, an animus*

(1) Perspicue id etiam efficiunt variæ Philosophorum opiniones, de modo quo musculi, quorum ope moventur membra, ipsi moveantur: dum aliud videtur Stenoni, aliud Cartesio, aliud Bernoullio, aliud aliis.

mus sit extensus, an secus. Item, *Nemo exploratum habet, quænam sit interior fabrica cerebri humani, ubi consistant nervi, quoque modo animus in cerebro sit. Ergo definire non potest, animum tam esse extensum, quam nervorum capita*. Tum, *Nemo mente potest complecti, qua ratione animus corpus suum moveat, & ab eo vicissim moveatur. Ergo finire non potest, an animus totam cerebri medullam occupet, an secus*. Te judicem volo, Stay, uter recte colligat, Verneius, an Tosettus.

Quod addit Tosettus de præsentia, & actione Dei, quam simile sit, viderit ipse. Nam *immensitas* Dei proxime, & perspicue manat ex hoc principio naturæ ratione demonstrato: *Deus est ens perfectissimum*, id est *necessitate naturæ suæ existens, ideoque ex omni parte infinitum. Ergo nec præsentiæ suæ limites habet*, seu *est immensum*. Quod corollarium præterquam quod evidens est, tam claris Sacrarum litterarum testimoniis confirmatur, ut nulla dubitandi ratio se offerre queat. At tametsi pro verisimili ponamus, ut ponit Verneius (non enim id pro Metaphysice demonstrato habet) ab animo re ipsa moveri corpus; itemque animum esse in cerebro; nullo modo hinc sequitur, nec hujus propositionis est corollarium: *Ergo animus tam est extensus, quam ipsum cerebrum, vel nervorum capita*. Nam nullo pacto cognitum habeo, ut ante demonstravimus, *quo modo animus sit in cerebro*: itemque *quot modis animus movere possit corpus, quot modis non possit*. Ergo decernere non possum, hoc tantum modo, ceteris rejectis, in loco esse: hoc tantum modo corpus posse movere. Male igitur colligo, eam non alio modo musculos movere, quam tantam extensionem occupando, quantam vel totum cerebrum, vel nervorum capita occupant: sed in tanta rerum obscuritate a judicando, ut Philosophum decet, abstinere debeo.

Quid? eodem argumento suo solide ac efficaciter labefactari potest Tosettus hoc modo: Quamquam summa, id est infinita perfectio Dei cogat nos ut dicamus, eum nullis limitibus definiri, adeoque esse immensum; tum omnia & condere, & moderari; tamen cum nullam claram ideam habeamus naturæ, ac potentiæ Dei decernere non possumus, qua ratione sit præsens omnibus, qua ratione

res

res condat, easque conservet. Ergo etiam, quamvis ex animi effectis, qui in cerebro maxime perspicui sunt, verisimiliter inferre debeamus, animum esse in cerebro; tamen cum claram non habeamus ideam naturæ animi, ejusque facultatum, nec item fabricæ cerebri, aut inrerioris systematis membrorum; definire nullo modo possumus, quo pacto in cerebro resideat, quaque ratione membra flectat. Sed Tosettus non alio ex fonte ducit, animum esse extensum, nisi quia pro certo sumit, *non posse reapse agitare cerebrum, vel aliquam sui partem, nisi vel ipsam partem, vel solidum cerebrum extensione æquet*; quod ipsum vel falsum est, vel saltem omnino incertum, ut paulo ante n. VII. confectum habemus. Ergo Tosettus paralogismo argumentatur, dum infert *propositionem certam, & universalem* ex principio penitus incerto. Male igitur ex tali principio colligit, *animum esse vere extensum*. Multoque sapientius faceret Tosettus, si Leibnizium suum imitaretur, qui coactus a Clarkio, fateri religioni non habuit, nec Deum esse vere extensum, nec animam talem dici posse: nihilque de animæ sede, nec recte, nec clare dici, sed per abusum verborum: nec ex ejus præsentia colligi posse extensionem. (1) Sed iterum Tosettus urget.

IX. „ Quod autem post rationum momenta alios quo„ que Philosophos pro mea sententia citaverim, cur mihi „ vertatur crimini a Verneio, prorsus ignoro. Id passim „ in more est, non ut Philosophorum nomina rationis lo„ co substituamus, sed vel ut novitatis fugiamus invi„ diam, vel ipsos fontes, ex quibus doctrina aliqua hau„ sta fuerit, indicemus. „

(1) *Dieu n'est pas présent aux Choses par situation, mais par essence: sa présence se manifeste par son operation immediate. La présence de l'ame est tout d'une autre nature. Dire qu'elle est diffuse par le corps, c'est la rendre etendue, & divisible: dire qu'elle est toute entiere en chaque partie de quelque corps, c'est la rendre divisible d'elle meme. L'attacher à un point, la repandre par plusieurs points, tout cela ne sont qu'expressions abusives.* Toisieme Ecrit de M. Leibniz. n. 12. Recueil de Diverses pieces. tom. 1.

ANIMADVERSIO.

Nihil tam dolet Tosetto nostro, quam non posse cuiquam persuadere, se a Verneio peti, ac singulis prope periodis per summam injuriam refutari: verum dum graviora argumenta non affert, numquam persuadebit. Quod autem ad Verneii attinet verba, quæ supra numero VII. descripta habes, nulli ibi vitio vertitur, quod auctores suæ sententiæ nominet: sed postquam Verneius Adversariorum sophisma, quod etiam amplexatur Tosettus, protulit, id unum miratur, Adversarios, cum argumenta, quæ cogant, nulla proferant, subito ad auctorum magna nomina confugere solere, quasi aliquid demonstratum proferrent. Quod si Verneius id Tosetto crimini dare voluisset, sine ulla injuria dedisset: nam ipse Tosettus vel una propositione Leibnizii adducta, quæ manifestum paralogismum continet, *se argumentum demonstrativum*, *argumentum vi maxima præditum* proferre dixit: tum vel uno citato Martino, se *rem apertam* affirmasse, asserere non dubitavit, ut supra diversis locis demonstravimus. Hoc ipsum peccant alii, qui in eamdem sententiam disputant. Hoc vitium commune plurium reprehendit Verneius, non tamen nominatim petivit Tosettum. Sed pergit ipse in hunc modum.

X. „ Ad materiei divisibilitatem revertitur tamdem „ Verneius. *Male igitur ponunt*, inquit, *pro comperto* „ *rem, quam nullo modo intelligunt, ut inde efficiant, ne-* „ *gari debere extensionem divisibilem materiæ, quam omnes* „ *perspicue intelligunt, tametsi non intelligunt, quo modo* „ *quælibet pars infinite secari possit. Quis enim, qui sine ulla* „ *anticipatione, sine ulla hypothesi judicet, ejusmodi dispu-* „ *tatores ferre possit? aut quis* (cetera Verneii verba muti- „ lavit Tosettus, sed excribenda hic sunt, quia quam ma- „ xime ad rem faciunt) *germanus Philosophus non potius* „ *dicat, hæc clare intelligo, illa non intelligo? Ego vero eli-* „ *go potius plane fateri, me talia nec explicare, nec intelli-* „ *gere posse, quam tales hypotheses pro veris in hac Philo-* „ *sophiæ luce viris oculatis obtrudere. Sed de his alio loco* „ *est disputandum*. „ Nihil aliud habet Verneius.

„ Si quam omnes perspicue intelligunt, ut Verneius „ asserit, est materiæ divisibilitas in infinitum, viderit

„ ipse

„ ipse an omnes re vera perspicue intelligant. Arbitror ta-
„ men ei non latere, infinitam materiæ divisibilitatem tum
„ a Leibnizianis omnibus, tum ab Atomistarum plerisque,
„ tum a Cartesianorum nonnullis vel prorsus respui, vel
„ in dubium revocari. Dicam tamen ex Philosophis,
„ qui Ontologiam accurate, & systematice pertractave-
„ rint (*hoc mihi videtur dicere, Verneium nec accurate,*
„ *nec systematice eam pertractasse. Scilicet!*) neminem esse,
„ qui infinitam materiæ divisibilitatem probet, quippe
„ crassam sapiat Metaphysicam. „

ANIMADVERSIO.

Nempe Tosettus noster non potuit temperare sibi, quin paralogismis, ex quibus tota ejus confutatio constat, adderet contumeliam, atque Verneio fictam hanc culpam objiceret, eum nec *accurate, nec systematice Ontologiam pertractare, sed crassam Metaphysicam*, veluti recoctam crambem, lectoribus propinare. Sed hæc illi maledicta libenter condonamus, eaque, ut nos decet, missa facimus. An autem recte, quod caput est, Tosettus judicet, an aliter, videbunt Philosophi affectibus ac præjudicatis opinionibus vacui. Venio ad id, quod ad nostram rem pertinet, & in quo est summa controversiæ.

En argumentatio Verneii, quæ illis verbis continetur, & quam veluti *crassam Metaphysicam* irridet Tosettus. *Omnes, qui non omnino delirant, exploratum habent, atque aperte fatentur, quamcumque materiæ seu corporis partem, quæ sensibus subjicitur, secari posse. Sed Philosophi ex analogia argumentando (qua una duce ex sensilibus rebus ad insensiles pervenire se posse dicunt) pro certo ponunt, particulas materiæ, etsi sensus fugiant, & subtilissimæ præter opinionem sint, ejusdem esse speciei ac materia, quæ sensibus subjecta est. Ergo ex eadem analogia argumentando inferre debent, insensiles materiæ particulas hac etiam proprietate gaudere, ut dividi possint.* Huc usque nihil non perspicuum se offert: nec id nobis negaturum puto Tosettum. Hinc vero illud, de quo controversia est, perspicue infertur. *Ergo quæcumque partes materiæ cogitari possunt, quod materia sunt, quod figuram habent, dividi possunt, hæ rursum partes dividi sine ullo fine.*

Hic

Hic vero intercedunt adversarii, & negant, partes infinite secari posse. Quam ob rem? quia videtur illis omnino perspicuum, non posse dari infinitum absolutum. Cur non? quia aliter nulla essent prima elementa corporum, quæ Deus crearet: Deus enim infinitum efficere non potest. En celebris adversariorum responsio.

His ita respondet Verneius. Omnino vos de *infinito absoluto* nihil cognoscitis, nec constituere potestis, an esse possit, an non. Item de effectione seu *creatione materiæ* nullam notionem habetis, nec finire apti estis, quæ requirantur ut Deus eam condere possit: item an hoc Deus facere possit, an aliter. Ergo ex duobus principiis incertis, & omnino incognitis, male infertis, *insensilibus materiæ particulis non convenire eas proprietates, quæ sensilibus particulis perspicue conveniunt*: si modo ponitis, ut profecto ponitis, utrasque particulas ejusdem naturæ, ac *speciei infimæ* esse. Nisi forte putatis, continuata divisione mutari naturam materiæ: quod ridiculum, & Abderiticum profecto est.

At enim, reponunt, intelligere non possumus, *materiam sine ullo fine secari posse*. Fateor, reponit Verneius: quid tum? an quod non intelligatis *infiniti absoluti* naturam, quam nemo intelligere potest, negare debetis, *quamlibet particulam materiæ sensibilis* dividi posse; quod ipsum perspicuum omnibus est, & ex quo analogiæ præsidio perspicue illud infertur, *quamcumque insensilem particulam item dividi posse*? Quis hoc ferre possit, negare perspicuam consecutionem ex principio evidentissimo, hoc nomine, quod non intelligamus, quo modo conclusio se habeat? (1) Nos ex eo *quod Deus necessitate naturæ suæ existit*, perspicue inferimus, *a nullo limitari posse*, id est, *esse in omni genere infinitum*: & hinc *esse immensum &c.* Et quamquam non intelligamus, *quo modo Deus sit absolute ex omni parte infinitus; tum immensus, &c.* tamen quia perspicue cognoscimus, ex illo principio evidenti talem conclusionem natura sua profi-

(1) *Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest, quod occultum est? numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus invenire?* Aug. de Dono persev. n. 37. alias cap. 14.

proficiſci, idcirco eam pro vera ponimus. Ergo etiam quamvis non intelligamus, quo modo infinitæ partes in uno aliquo corpuſculo contineantur; tamen quia ex perſpicuo principio, nempe *diviſibilitate materiæ ſenſibilis*, evidenter ſequitur, *quamlibet particulam ſecari poſſe*; etſi id non intelligamus, pro vero tamen habere debemus. (1)

Itaque alterutrum amplecti neceſſe habetis: Vel negare debetis analogiæ leges in materia valere; atque affirmare coacti eſtis, partes inſenſiles alterius eſſe ſpeciei, aliaſque habere proprietates ac partes ſenſiles; vel ſi ſemel ponitis, analogiæ hic locum eſſe, infinita materiæ diviſibilitas vobis velitis nolitis penitus eſt concoquenda. Quod ſi infinita hæc materiæ diviſio(2) ſtomacho veſtro gravis ac moleſta eſt; abſtinete, amabo vos, ab ejuſmodi controverſiis, in quibus nihil intelligere, aut conſtituere poteſtis; & ex quibus nullum lumen Phyſicæ diſciplinæ, ejuſque partibus, quæ aliquid utilitatis habent, afferre poteſt: ut ſunt præ ceteris omnes quæſtiones Phyſicæ, quæ ad infinitum abſolutum revocantur. Hæc diligenter eodem loco exponit Verneius, (3) & in hunc modum concludit: *Fateor id intelligi a nobis non poſſe, ſed alterutrum amplecti neceſſe eſt: vel negare debemus perſpicuas proprietates materiæ, ea de cauſa, quod non intelligamus, quo modo corpus infinite ſecari poſſit; vel abſtinere ab ejuſmodi diſputationibus, in quibus nihil clare intelligere, nihil finire poſſumus. Illud Philoſophis Recentioribus durum omnino videbitur: hoc autem dignius mihi videtur vero Philoſopho.*

Itaque Verneius duo apertiſſime ſcribit: Unum, diviſibilitatem infinitam ex principio evidentiſſimo proficiſci, quæ proinde a nemine, qui recte judicet, negari poteſt, ut ut, quo modo ſe res habeat, mente percipere non poſſit. Alterum, conſultius eſſe, veroque Philoſopho dignius, temperare ab ejuſmodi controverſiis, quæ nec Phyſicæ opitulan-

(1) Conſule quæ accommodate ad rem noſtram diſputat Clarke de *L'Exiſtence de Dieu*. *Chap.2. p.m.* 19. 20. & toto cap.3.

(2) Infinita diviſibilitas, ut a Recentioribus explicatur, non adeo inepta videtur, ut plerique putant, qui eam quaſi delirantium ſomnia cachinnis excipiunt. Vide *Torre Scienza della Natura Tom.1.* §.35. 67. & *Inſtitut. Phyſic. Tom.1. ſect.2. cap.3.*

(3) Metaph. lib.4. cap.7. pag.164. 165.

tulantur, nec nisi ab illis, qui de rebus, quæ intelligi non possunt, loqui amant, tanta animi contentione disputantur. Sed cum horum neutrum consideraret Tosettus, prosequitur in hunc modum:

XI. „ Miror autem Verneium, virum alioqui perspi-
„ cacissimum, controversiam de infinita materiæ divisibi-
„ litate Physicis examinandam relinquere: *Nos eam Physi-*
„ *cis, si qui otio difluunt, examinandam relinquimus*: ait
„ loco cit. pag.164.miror, inquam, cum planum sit & aper-
„ tum, eam quæstionem non nisi ad Ontologiam, & Co-
„ smologiam pertinere. Ut enim ea dirimatur, examinari
„ & statui debet, utrum prima corporum elementa extensa
„ sint: utrum extensio ex partibus realibus necessario re-
„ sultet, nec ne? quæ duo capita ad unum etiam reduci
„ possunt, utrum nempe extensum ex non extensis necessa-
„ rio coalescat. Id autem definire, an ad Physicam perti-
„ neat, an ad Metaphysicam, judicet Verneius ipse, qui
„ ad suam Ontologiam tractationem de *simplici & compo-*
„ *sito* jure censuit pertinere. „

Hæc de Verneio miratur Tosettus. Nos autem potiori jure miramur, Tosettum, virum ceteroqui doctissimum, & oculatissimum, ea in libris, quos confutandi causa pervolvit, non animadvertisse, quæ vel Philosophiæ tirones primo aspectu animadverterunt.

Primum enim miramur, Tosettum non legisse causam, cur Verneius talem disputationem *Physicis, qui otio diffluant, examinandam relinquere*. Nam Verneius declarat ibidem (quod verba ipsa demonstrant supra numero X. adducta) *indignum esse vero Philosopho de rebus disputare, quæ a nobis intelligi non possunt*. Deinde ait (1) *germani Philosophi esse aperte dicere, hæc clare intelligo, illa non intelligo: nec hypotheses de rebus, quæ intelligi non possunt, quasi aliquid verum in hac Philosophiæ luce viris oculatis obtrudere*. Tum paulo ante (2) solido capite demonstravit, *nullam nos habere ideam infiniti absoluti: atque disputationes de infinito absoluto nihil aliud esse, quam verba inania: propterea fugiendas esse vero Philosopho*. (3) Ergo Verneius eodem loco clarissime docuit, ejusmodi quæstiones nec in Physi-

(1) Eodem cap.7.pag.167. (2) Cap.5. (3) Ibid.coroll.4.

Physica, nec alio loco disputari debere: nec nisi illis disputandas relinquit, *qui otio diffluant*, ac tempus inaniter loquendo consumere velint.

Quod si hæc philosophandi ratio non probatur Tosetto, sed de rebus confidenter decernere, quæ nullo consilio intelligi, nullo explicari possunt, id ipsum non *crassam*, sed *subtilissimam Metaphysicam*, & *Philosophiam* vocat, ac in deliciis habet; sua utatur quantum velit, sine Verneio, ac sine me tamen rivali. Verneius enim cum plurimis Philosophis gravissimis constitutum habet, in Physicis non nisi de rebus sensilibus, aut quæ ex sensilibus proxime ac perspicue ducuntur, differere: hoc amplius, ingenue confitetur, se, cum celebratissimas aliquas controversias magis magisque examinat, eo magis intelligere, *meras Logomachias* esse: eoque magis sibi persuadere, *incredibili rerum Physicarum ignorantia non indoctos modo, sed etiam doctissimos quosque laborare*: quod illi, qui hypothesibus, ac verbis inanibus non delectantur, de ejusmodi controversiis fateri religioni non habent. (1)

Deinde miramur, Tosettum non intellexisse causam, cur Verneius hoc loco ejusmodi quæstionem tetigit. Nempe cum explanare deberet vim ac usum vocabulorum *simplex*, & *compositum*, quorum in singulis disciplinis usus esse potest; (2) per viam tetigit hujusmodi controversiam, ut ostenderet tironibus, ea, quæ de tali controversia verisimiliter dicuntur, paucissimis verbis expediri posse: sed conducibilius esse, veroque Philosopho dignius, de ejusmodi rebus nusquam differere, quod ad ea tamdem disputando veni-

---

(1) *Pour moi* (inquit Coste interpres Lockii) *j'avoue sincerement, que sur une question si subtile, come sur bien d'autres de cette nature, je n'ai point d'opinion determinée: & que je me fais un affaire de desapprendre tous les jours bien des choses, dont je m'etois cru fort bien instruit. Multa nescire mea pars magna sapientiæ*. In not. ad Libr. 2. Lockii cap. 13. p. m. 126. 27. Adde quæ supra in nota ad n. VII. diximus de Moshemio.

(2) *Et hæc de vocabulis stricta significatione acceptis*. Verneius in Metaph. ibid. pag. 167. & iterum: *Sed hæc nullius usus sunt, &, vel auditis vocabulis, a tirone non hebete intelliguntur*. pag. 168. & tertio ibidem: *Hæc clara sunt, fortasse etiam nullius usus aliquibus videbuntur*. Quid clarius?

venire necesse sit, quorum nullas ideas habemus, adeoque definiri non possunt: ut de talibus disputare nihil aliud sit, quam verba inania fundere sine ullo fructu. (1)

Præterea miramur Tosettum scribere non dubitasse, quæstionem *de infinita divisibilitate materiæ non ad Physicam, sed ad Ontologiam spectare*. Nam cum Physica de natura ac proprietatibus *corporis* cum universe, tum sigillatim tractet; (2) ad Physicum jure meritoque pertinet examinare (si modo id explorari, & intelligi potest, ut Verneius monuit) *an divisibilitas ita sit proprietas materiæ, ut nulla pars materiæ sit, quæ dividi non possit*. Ontologia vero, quæ nihil aliud est, quam *applicatio Legum Logices ad argumenta quædam generalia, quorum in singulis disciplinis usus est*; ut Verneius toto libro 2. docuit, quodque Tosettus memoria tenere debebat; tantum suis finibus continere se debet, nec alienas possessiones invadere.

Quod si explicandi gratia aliquæ res Physicæ tangi debent, quod interdum in singulis disciplinis vitari non potest; prætereundo explicari debent, & tantum delibari, quantum ad id, de quo est quæstio, intelligendum satis esse videatur: quod Verneius religiose servavit. Nec hæc reprehendere debebat Tosettus, qui innumeras res medicas in sua *Disputatione* addidit, & uberrime disputavit.

Quarto loco miramur, Tosettum nostrum non intellexisse, *Cosmologiam* (eam dico *Cosmologiam*, quæ aliquid utilitatis Physico afferre potest, quæ ad pauca capita reducitur: nam plurima, quæ sub nomine *Cosmologiæ*, *Cosmosophiæ*,

(1) *Nos ea, quæ necessaria videbantur, ut Philosophorum sermonem facilius intelligeremus, tetigimus: cetera iis relinquimus disputanda, qui res subtiles, & quæ nullo modo intelligi, nulli disciplinæ opitulari possunt, delicias suas vocant, easque pro bona Philosophia habent. Physicas vero disputationes, & Theologicas, quas hic nonnulli addunt, tamquam ab hac disciplina alienas prætermittimus, suisque locis disputandas reservamus*. Verneius Metaph. L.4. c.16. pag.224.

(2) Verneius in Metaphysica sua L.4. c.17. docet etiam *Psychologiam* esse objectum Physicæ; quæ ex effectis sensilibus naturæ ratione investigat proprietates ac naturam tum rei *corporeæ*, tum *incorporeæ* a Deo creatarum. In quo a *Theologia Naturali* distinguitur, quæ naturam ac proprietates Dei persequitur lumine naturæ; & a *Dæmonologia*, quæ id ipsum facit ex divina revelatione.

ſophiæ, *Coſmogoniæ* a quibuſdam Philoſophis, nec iis de trivio, diſputantur, non vera Philoſophia, ſed veræ Logomachiæ, ac gerræ germanæ ſunt, proinde nec legi, nec audiri merentur) non eſſe partem Ontologiæ, ſed *Prolegomena* Phyſicæ diſciplinæ: quod vel ex ipſa definitione nominis tirones intelligunt. Quod ſi doctiſſimus Toſettus aliter ſentit, eum ſe, ſuaque impenſe amare, atque de tali opinione gloriari, libentiſſime concedimus.

Illud tamen illi dare non poſſumus, quod cum haud recte examinarit, quale ſit ſyſtema Verneii in tradenda Ontologia, quod tamen ille toto *lib.2.de Re Metaphyſica* (1) apertiſſime narravit; & in variis locis, præſertim *cap.ultimo Metaph.* iterum expoſuit; quamque vim Verneius ſingulis his nominibus ſubjecerit; tamen Verneio culpæ dare non dubitet, quod non ſe accommodarit ad opinionem Toſetti: id eſt, eamdem interpretandi vocabula rationem non ſit imitatus. Et eo magis id nos miramur, quod erat Philoſophi, erat Critici, erat Amici, erat demum Religioſi viri non ante aliorum ſententias confutandas ſibi ſumere, quam totum hominis ſyſtema, quem adverſarium ſibi fingere volebat, mente complecteretur: nec aliquid illi non ab eo dictum, nec eadem acceptione tribuere. Sed hæc omnia diluere ſibi perſuaſit Toſettus extremis illis verbis:

XII. „ Quæ hactenus a me dicta ſunt, æqui bonique „ faciet veritatis, & honeſtatis amantiſſimus Verneius, cui „ ſcio perſuaſum, ſententiarum inter nos diſcordiam non „ eſſe animorum diſſidium. „

Quod ipſum nos graviori de cauſa Toſetto reponere poſſumus. Non enim ſumus ii, qui Toſetto aliquid, præter id, de quo eſt quæſtio, opponere velimus: qui tametſi aliqua in ejus lucubrationibus reperiamus, quæ nobis non arrident, nec id ſine gravi conſtantique ratione; tamen iis conſulto ſuperſedemus, ut planum faciamus, nos nullam illi litem intentare, nullamque de aliena re controverſiam movere velle. Uno enim contenti ſumus, ſi lectori probamus, Verneium in hujuſmodi recte philoſophatum eſſe: Toſettum vero Verneii noſtri ſententiam non modo male eſſe interpretatum, ſed etiam refutandi cupiditate, æſtu-

(1) Præſertim cap.4. pag.44.45.

æstuque altercationis abreptum talia addidisse, quæ digna Tosetto non sunt: & quæ, ut mitissime loquar, miram ejus in legendis, atque expendendis aliorum sententiis negligentiam produnt. Quæ si tollas, de Tosetto magnifice & prædicamus, & sentimus: eumque virum in Philosophicis, & Mathematicis insigniter eruditum, dignum judicamus, qui in graviori ac utiliori argumento pro copia sua versetur: nec veremur ut homo, qui ab urbanis moribus nomen merito suo invenire potuit, nobis vitio tribuere queat, quod amicissimi hominis existimationem contra ejus criminationes, quæ nobis injustæ visæ sint, salvam esse velimus. Non enim accusandi studio, ut initio diximus, nec ut ferram de re adeo levi ducamus, quod mihi puerorum, non Philosophorum esse videtur, talia scripsimus; sed ut veritatem in suo lumine ponamus, suumque jus cuique tribuamus.

Habes doctissime, ac humanissime Stay, quid nos de philosophandi ratione Verneii, quid de refutatione Tosetti judicemus. Uter vero rectius philosophetur, tu optime omnium judicabis: neque enim alium doctiorem, aut graviorem judicem facile invenire possem; nec si possem, quærerem. Tu es enim is, qui ad ceteras virtutes tuas hanc addere curasti, ut de rebus non ex anticipatione aliqua, sed ex merito judicare soleas: quique tanta apud viros doctos auctoritate vales, ut, quæ tibi vera videantur, ceteris nullo negotio vera esse persuadeas. Quare quin in tuo judicio ceteri, qui verum unice quærunt, acquiescant, causa nulla est cur dubitem. Vale, & nos ama. Romæ Kalend. Decemb. Anno Christi MDCCLIV.

F I N I S.